B. G.

1349 50

Constat flo: 12.

Benedykt Godeckiharmiedtary

o: 12.

Kaplica na Marymoncie
N 5!

ad usum
Ecclesiae in Bielany
prope Varsaviam
1867

RITUALE

SACRAMENTORUM.

Rituale Sacramentorum ac aliarum Ecclesiae Caeremoniarum ex Rituali Synodi Provincialis Petricoviensis depromptum, insuper aliquibus auctum, Typis Congregationis Missionis Anno Domini 1824 et 1836 reimpressum, reimprimatur.

Varsaviae die 30 Mensis Decembris A. D. 1846.

ANTONIUS FIJAŁKOWSKI

EPISCOPUS SUFFRAG. PLOCENSIS,
ADM. ARCHID. VARSAVIENSIS.

RITUALE
SACRAMENTORUM
ac
ALIARUM ECCLESIAE
CAEREMONIARUM
EX RITUALI
SYNODI PROVINCIALIS
PETRICOVIENSIS
DEPROMPTUM
INSUPER ALIQUIBUS
AUCTUM ET REIMPRESSUM.



VARSAVIAE,
TYPIS CONGREGATIONIS MISSIONIS AD S. CRUCEM.
1847.

Wolno drukować

z warunkiem złożenia w Komitecie Cenzury, po wydrukowaniu, prawem przepisanej liczby exemplarzy.

w Warszawie dnia 2 (14) Stycznia 1847 r.

Cenzor, Niezabitowski.

PARS PRIMA
RITUALIS
DE SACRAMENTIS.

De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt.

Ut ea, quae ex antiquis Catholicae Ecclesiae institutis, et sacrorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum Ritibus, ac caeremoniis hoc Libro praescribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter serventur; illud ante omnia scire et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus de iis ritibus decrevit in haec verba:

Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consvetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. *Ses. 7, can. 13.*

Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinùm habeatur, quàm Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta; Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse imprimis debet, se sancta tractare; atque omnî fere temporis momentô ad tam sanctae administrationis officium paratum esse oportere.

Quamobrem illud perpetuô curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque a pravis ministris eorum effectus impediri: impure tamen et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi priùs corde poeniteat: sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

Quâcunque diei ac noctis horâ ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo praestando (praesertim si necessitas urgeat) moram interponat. Ac propterea populum saepe, prout sese offeret occasio, praemonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quàm primùm advocet, nullâ temporis aut cujuscunque incommodi habitâ ratione.

Ipse vero antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus

est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi et caeremonias, pro temporis spatio, praevidebit et perleget.

In omni Sacramentorum administratione, superpelliceô sit indutus, et desuper stolá ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit, nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures Clericos, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu et superpelliceô pariter indutos.

Curabit etiam, ut sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda.

In Sacramentorum administratione, eorum virtutem, usum, ac utilitatem, et caeremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum praecipit, ex Sanctorum Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit.

Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clarâ voce pronuntiabit. Similiter et alias Orationes et preces devote, ac religiose dicet; nec memoriae, quae plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas praeterea caeremonias ac ritus, ita decenter gravîque actione peraget, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat.

Ad ministrandum procedens, rei quam tractaturus est, intentus sit; nec de iis, quae ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel sultem virtualem, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.

Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid, quavis de causa, vel occasione, directe vel indirecte, exigat aut petat, sed ea gratis ministret, et ab omni simoniae atque avaritiae suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynae, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

Fidelibus alienae Parochiae Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia Parochi seu Ordinarii.

Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu, actuque indecenti; pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est reverentia, suscipiant.

Librum hunc Ritualem (ubi opus fuerit) semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque et caeremonias in eo praescriptas diligenter servabit.

Ceterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere praescribuntur, cujusmodi

sunt: Baptismus, Poenitentia, Eucharistia, Extrema unctio et Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta, Confirmationis et Ordinis, cum propria sint Episcoporum, ritus suos habent in Pontificali praescriptos. Et ea, quae de iis atque aliis Sacramentis scire, servare, et docere Parochi debent, cum ex aliis libris; tum praecipue ex Catechismo Romano sumi possunt. Siquidem hic de iis fere tantum agere instituti operis ratio postulat, quae ad ipsorum quinque Sacramentorum ritus pertinent.

Postremo, quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque praesertim, in quibus variarum Parochialium functionum notae ad futuram rei memoriam describuntnr; ut ad finem hujus Ritualis habetur.

De Sacramento Baptismi rite administrando.

Sacrum Baptisma, christianae Religionis et aeternae vitae janua, quod inter alia novae Legis Sacramenta a Christo instituta, primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa Veritas testatur illis verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. *Itaque summa, ad illud opportune riteque administrandum ac suscipiendum, diligentia adhibenda est.*

Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum, alia sint de jure divino absolute necessaria, ut: materia, forma, minister; alia ad illius solemnitatem pertineant, ut: ritus ac caeremoniae, quas ex Apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet; de iis aliqua praemonenda sunt, ut sacrum hoc ministerium rite ac sancte peragatur.

De materia Baptismi.

Ac primùm intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti materia sit aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

Aqua verò solemnis Baptismi sit eô annô benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et haec, quando nova benedicenda est, in Ecclesiae, vel potius Baptisterii sacrarium effundatur.

Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quôvis modô defecerit; Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quae infra praescribitur.

Sed si aqua conglaciata sit, curetur ut liquefiat: sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquae naturalis

non benedictae calefacere, et admiscere aquae baptismali in vasculo ad id parato, et eâ tepefactâ ad baptisandum uti, ne noceat infantulo.

De forma Baptismi.

Quoniam Baptismi forma hîs verbîs expressa: Ego te baptiso, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, *omnino necessaria est; ideo eam nullô modô licet mutare, sed eadem verba unô et eôdem tempore, quô fit ablutio, pronuntianda sunt.*

Latinus Presbyter, latinâ formâ semper utatur.

Cum Baptismum iterare nullô modô liceat, si quis sub conditione (de quo infra) sit baptisandus, ea conditio explicanda est, hôc modô: Si non es baptisatus, ego te baptiso, in nomine Patris etc. *Hâc tamen conditionali formâ, non passim, aut leviter uti licet, sed prudenter, et ubi re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptisatum.*

Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem: primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur; ita, ut trina ablutione caput baptisandi perfundatur, vel immergatur in modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens, et verba pronuntians.

Ubi vero Baptismus fit per infusionem aquae, cavendum est, ne aqua ex infantis capite in fontem, sed vel in Sacrarium Baptisterii, prope ipsum fontem exstructum defluat, aut in aliquo vase, ad hunc usum parato recepta, in ipsius Baptisterii, vel in Ecclesiae Sacrarium effundatur.

De Ministro Baptismi.

Legitimus quidem Baptismi Minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans, aut adultus, versatur in vitae periculo, potest sine solemnitate à quocumque baptisari in qualibet lingua, sive Clerico, sive laico etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive haeretico, sive viro, sive femina: servata tamen forma et intentione Ecclesiae.

Sed si adsit Sacerdos, Diacono praeferatur; Diaconus Subdiacono; Clericus Laico; et vir feminae; nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptisare infantem non omninò editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptisandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptisandi ritum probè teneant et servent.

Pater aut mater propriam prolem baptisare non debent, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptiset, neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae Matrimonii usum impediat.

De Baptisandis Parvulis.

Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptisandos sive baptisatos, quamprimum fieri poterit, et qua decet Christiana modestiâ sine pompae vanitate deferant ad Ecclesiam. Ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptisati sunt, consuetae caeremoniae ritusque suppleantur, omissâ formâ et ablutione.

Nemo in utero matris clausus baptisari debet. Sed si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptisetur in capite; nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptisandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo si periculum impendeat, baptisetur; et tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptisandus, eô modô, quò supra dictum est: Si non es baptisatus, ego te baptiso, in nomine Patris etc. *Si verò ita baptisatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.*

Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum cautè extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptisetur: si fuerit mortuus et baptisari non potuerit, in loco sacro sepeliri non debet.

Infantes expositi, et inventi, si re diligenter investigatâ, de eorum Baptismo non constat, sub conditione baptisentur.

In monstris verò baptisandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est: de quo si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur; nisi mortis periculum immineat.

Monstrum quod humanam speciem non praeseferat, baptisari non debet: de quo, si dubium fuerit, baptisetur sub hâc conditione: Si tu es homo, ego te baptiso, etc.

Illud verò, de quo dubium est, unane, aut plures sint personae, non baptisetur, donec id discernatur. Discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora, tunc enim totidem erunt corda, et animae, hominesque distincti; et eô casu singuli seorsum sunt baptisandi, unicuique dicendo: Ego te baptiso, etc. *Si verò periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptisentur; poterit Minister, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptisare dicendo:* Ego vos baptiso, in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. *Quam tamen formam in iis solum, et in aliis similibus mortis periculis, ad plures simul baptisandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli seperatim baptisentur, alias nunquam, licet adhibere.*

Quando verò non est certum, in monstro esse duas personas, ut quia duo capita, et duo pectora non habet bene distincta; tunc debet primùm unus absolutè baptisari, et postea alter sub conditione, hôc modô: Si non es baptisatus, ego te baptiso in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.

De Patrinis.

Parochus antequam ad baptisandum accedat, ab iis, ad quos spectat, exquirat diligenter, quem, vel quos Susceptores seu Patrinos elegerint, qui infantem de sacro Fonte suscipiant: ne plures quàm liceat, aut indignos, vel ineptos admittat.

Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini; sed simul non admittantur duo viri, aut duae mulieres, neque ipsius baptisandi pater aut mater.

Hos autem Patrinos, saltem in aetate pubertatis, ac Sacramentô Confirmationis consignatos esse maximè convenit.

Sciant praeterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut haereticos, non publice excommunicatos aut interdictos, non publice criminosos aut infames, nec praeterea qui sana mente non sunt, nec qui ignorant rudimenta fidei; haec enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi Fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportunè docere tenentur.

Praeterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares à saeculo segregati.

De tempore et loco administrandi Baptismi.

Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti et cessationis à Divinis, praesertim

si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempè Sabbatum Sanctum Paschae, et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus, Baptismalis fontis aqua ritè consecratur. Quem ritum, quantum fieri commodè potest, in adultis baptisandis, nisi vitae periculum immineat, retineri decet, aut certe non omninò praetermitti, praecipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis.

Ac licet urgente necessitate, ubique baptisare nihil impediat; tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons Baptismalis, vel certe Baptisterium propè Ecclesiam.

Itaque necessitate excepta, in privatis locis nemo baptisari debet; nisi fortè sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta.

Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quae aquam benè contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliae sordes intro non penetrent. In eoque, ubi commodè fieri potest, depingatur imago sancti Joannis Christum baptisantis.

De sacris Oleis, et aliis requisitis.

Sacrum Chrisma, et sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria quinta in Coena Domini.

Curet Parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat, et tunc vetera in Ecclesia comburat.

Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur; ac si deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate.

Chrisma et Oleum sacrum sint in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis benè obturatis; quae vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat majusculîs litterîs incisam; ne quis error committatur.

Ad usum verò quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno, sive separata, sive etiam conjuncta: aptè tamen distincta, et benè cooperta, et cum suis inscriptionibus, ut supra, ne Parochus aberret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter.

In ea igitur ex majoribus vasculis Chrismatis et Olei, quod sufficiat, infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit in his vasculis bombacium seu quid simile

habère, Oleô sacrô et Chrismate seperatim perfusum, in quae pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur.

Haec vascula ita parata, in loco proprio, honesto, ac mundo, sub clave, ac tuta custodia decenter asserventur; ne ab aliquo, nisi à Sacerdote, temerè tangantur, aut eis sacrilegè quispiam abuti possit.

Parochus, quantum fieri potest, curet ne per laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum, haec Olea deferantur. Caveat item, ne de iis quidquam ulli unquam tribuat cujusvis rei praetextu.

Sal, quod in os baptisandi immittendum est, sit benedictum suâ peculiarî benedictione, quae infra praescribitur. Neque utatur sale exorcisato ad benedicendam aquam. Sitque priùs bene confractum et attritum, siccum ac mundum. Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, sed ad alios baptisandos servetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

Cùm igitur Baptismi Sacramentum jam administrandum est, haec in promptu esse debent:

Vascula sacri Olei Catechumenorum, et Chrismatis.

Vasculum cum sale benedicendo, vel jam, ut dictum est, benedicto.

Vasculum, seu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam

supra caput baptisandi, quod nulli praetereà alii usui deserviat.

Pelvis seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in Sacrarium defluat.

Gossipium, aliô nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacrîs Oleîs inuncta.

Stolae duae, ubi commodè haberi possunt, una violacea, et altera alba, ut infra notatur, mutanda; sin minus, una saltem adhibeatur.

Medulla panis, quâ inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat abstergantur; et vas pro manuum lotione post Baptismum, quod huic tantum usui deservire decet.

Alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum.

Cereus seu candela cerea, baptisato ardens tradenda.

Hic denique Ritualis liber sit paratus, et item liber Baptismalis, in quo Baptisati describuntur.

Omnibus igitur opportune praeparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem lotis manibus, Superpelliceo et Stola violacea indutus accedat; Clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat, Superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent.

Ita paratus accedat ad limen Ecclesiae, ubi foris expectant, qui infantem detulerunt.

Interroget (nisi de his bene sibi constet) an sit suae Parochiae, masculus an femina, an

sit domi baptisatus, et a quo, et quam rite, et qui sint Compatres, qui infantem teneant pro eoque respondeant: quos pie ac decenter assistere, ac prout opus fuerit pro baptisando ad interrogationes respondere, admoneat.

Et quoniam iis qui baptisantur, tanquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis nomen imponitur; curet, ne obscaena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur.

His igitur expeditis, et accepto nomine baptisandi, positi, si infans fuerit super brachium dextrum illius, qui eum defert; Parochus ad Baptismum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

BENEDICTIO SALIS

Quod semel benedictum, alias ad Baptismum deservire potest.

Exorciso te creatura salis, in nomine Dei Patris Omnipotentis †, et in charitate Domini nostri Jesu Christi †, et in virtute Spiritûs Sancti †. Exorciso te per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum Sanctum †, per Deum †, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari praecepit, ut in nomine Sanctae Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices †, et benedicendo benedicas †, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.



ORDO BAPTISMI
PARVULORUM.

SACERDOS INTERROGAT.

Polonicè.

Czego żądasz od Kościoła Bożego?
Patri: ℟. Wiary.
Sacer: Wiara coć dawa?
Patri: ℟. Żywot wieczny.

Sacer: Jeśli chcesz wnijść do żywota, chowaj przykazania: Będziesz miłował *lub miłowała* Pana Boga twego ze wszystkiego serca twego, i ze wszystkiej duszy twojej, i ze wszystkiej myśli twojej: a bliźniego swego jak siebie samego, *lub siebie samą.*

Germanicè.

Sacer. N. Was begehrest du von der Gottes Kirche?
Patri. ℟. Den Glauben.
Sacer. Was giebt Dir der Glaube?
Patri. ℟. Das ewige Leben.
Sacer. Willst du in das Leben eingehen, so halte die Gebote. Du sollst Gott lieben aus deinem ganzen Herzen, aus deiner ganzen Seele, aus deinem ganzen Gemüthe, und deinen Nächsten wie dich selbst.

Gallicè.

Sacer: Que demandez-vous de l'eglise?
Patri: ℟. La foi.
Sacer: Que vous donne la foi?
Patri: ℟. La vie éternelle.

Sacer: Si vous voulez entrer dans la vie éternelle, gardez les commandemens: vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout, votre coeur, de toute votre âme, et de tout votre esprit, et votre prochain comme vous-même.

Litvanicè.

Sacerd. N. Ko nori nuog Bażniczios Diewo?
Patr. Wieros.
Sacerd. Wiera ka tau duoda?
Patr. Giwenima amżina.
Sacerd. Jej nori ineit ing giwenima, użłajkik prysakimus: Milesi Pona Diewa tawo, isz wisos szirdies tawo, isz wisos duszios tawo, ir isz wisos misles tawo, o artima sawo, kajpo pati sawe.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis et dicat semel:

Exi ab eo, *vel ab ea*, immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Postea pollice faciat signum Crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens:

Accipe signum Crucis tam in fronte †, quam in corde †, sume fidem coelestium praeceptorum, et talis esto moribûs, ut templum Dei jam esse possis.

OREMUS.

Preces nostras quaesumus Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum, *vel electam tuam*, crucis Dominicae impressione signatum, *vel signatam*, perpetua virtute custodi; ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde imponat manum super caput infantis, ac dicat:

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam* N. quem, *vel quam*, ad rudimenta fidei vocare dignatus es;

omnem caecitatem cordis ab eo, *vel ab ea*, expelle; disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus, *vel colligata:* aperi ei Domine januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, *vel imbuta*, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus, *vel laeta*, tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde immittat modicûm salis benedicti in os infantis, dicens:

N. Accipe salem sapientiae, propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.
Sac: Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam* N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum

salis gustantem, non diutius esurire permittas, quominus cibô expleatur coelestî, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, *vel eam*, Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorciso te immunde spiritus: in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus Sancti †, ut exeas et recedas ab hoc famulo *vel famula* Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus suis super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui Sancto, et recede ab hoc famulo *vel famula* Dei N. quia istum, *vel istam*, sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, fontemque baptismatis vocare dignatus est.

Hic pollice in fronte signat infantem, dicens:

Et hoc signum sanctae crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox imponit manum super caput infantis, et dicit:

OREMUS.

Aeternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam*, ut digneris eum, *vel eam*, illuminare lumine intelligentiae tuae, munda eum, *vel eam*, et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus, *vel digna*, gratiâ Baptismi tui effectus, *vel effecta*, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolae super infantem, et introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam. ℟. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicit:

Wierzę w Boga Ojca wszechmogącego, stworzyciela nieba i ziemi. I w Jezusa Chrystusa Syna jego jedynego, Pana naszego. Który się począł z Ducha świętego, narodził się z Maryi Panny. Umęczon pod Pontskim Piłatem, ukrzyżowan umarł i pogrzebion. Zstąpił do piekłów, trzeciego dnia zmartwychwstał. Wstąpił na niebiosa, siedzi na prawicy Boga Ojca wszechmogącego. Ztamtąd przyjdzie sądzić żywych i umarłych. Wierzę w Ducha świętego, święty kościół powszechny, świętych obcowanie, grzechów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie. Żywot wieczny. Amen.

Ojcze nasz, któryś jest w niebie. Święć się imie twoje. Przyjdź królestwo twoje. Bądź wola twoja, jako w niebie tak i na ziemi. Chleba naszego powszedniego daj nam dzisiaj. I odpuść nam na-

sze winy, jako i my odpuszczamy naszym winowajcom. I nie wwodź nas na pokuszenie, ale nas zbaw odezłego. Amen.

Deinde antequam accedat ad Baptisterium dicat:

EXORCISMUS.

Exorciso te omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, Domini et judicis nostri †, et in virtute Spiritus Sancti †, ut discedas ab hoc plasmate Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aureś et nares infantis; tangendo verò aurem dextram et sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est, adaperíre.

Deinde tangit nares, dicens:

In odorem svavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Postea interrogat Baptisandum nominatim, dicens:

Polonicè.

Sacer. N. Odrzekasz się ducha złego?
Patri. ℟. Odrzekam.
Sacer. I wszystkich spraw jego?
Patri. ℟. Odrzekam.
Sacer. I wszelkiej pychy jego?
Patri. ℟. Odrzekam.

Germanicè.

Sacer. N. Widersagst du dem Teufel?
Patri. Ja, ich widersage.
Sacer. Und allen seinen Werken?
Patri. ℟. Ja, ich widersage.
Sacer. Und aller seiner Hoffarth?
Patri. Ja, ich widersage.

Gallicè.

Sacer. N. Renoncez-vous à Satan?
Patri. ℟. J'y renonce. *v.* Oui.
Sacer. Renoncez-vous à toutes ses oeuvres?

Patri J'y renonce. *v.* Oui.
Sacer. Renoncez-vous à toutes ses pompes?
Patri. ℟. J'y renonce. *v.* Oui.

Litvanicè.

Sacerd. N. Ar atsiżadi piktos dwasios?
Patrin. Atsiżadu.
Sacerd. Ir wisu darbu jo?
Patrin. Atsiżadu.
Sacerd. Ir wisos pujkibes jo?
Patrin. Atsiżadu.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum crucis, dicens:

Ego te linio ✝ oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Hic deponit s[tola]m violaceam, et sumit aliam albi coloris.

Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili: et interrogat, expresso nomine, baptisandum, Patrino respondente.

Polonicè.

Sac. N. Wierzysz w Boga Ojca wszechmogącego, Stworzyciela nieba i ziemi?

Patr. ℟. Wierzę.

Sac. Wierzysz w Jezusa Chrystusa, Syna Jego jedynego, Pana naszego, narodzonego i umęczonego?

Patr. ℟. Wierzę.

Sac. Wierzysz w Ducha Świętego, święty Kościół powszechny, Świętych obcowanie, grzechów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie, i żywot wieczny?

Patr. ℟. Wierzę.

Subinde, expresso nomine baptisandi, dicit Sacerdos:

N. Chcesz być ochrzczony?

Patri. ℟. Chcę.

Germanicè.

Sacer. N. Glaubst du an Gott den Vater, den allmächtigen Schöpfer des Himmels und der Erde?

Patr. ℟. Ja, ich glaube.

Sacer. Glaubst du auch an Jesum Christum, seinen einigen Sohn, unsern Herrn, der geboren ist, und gelitten hat?

Patri. ℟. Ja, ich glaube.

Sacer. Glaubst du an den heiligen Geist, eine heilige, allgemeine, christliche Kirche, die Gemeinschaft der Heiligen, Vergebung der Sünden, Auferstehung des Fleisches und ein ewiges Leben?

Patri. ℟. Ja, ich glaube.

Sacer. N. Willst du getauft werden?

Patri. Ja, ich will.

Gallicè.

Sac. N. Croyez-vous en Dieu le Père tout-puissant, Createur du ciel et de la terre?

Patri. ℟. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. Croyez-vous en Jésus Christ, son Fils unique, notre Seigneur, qui est né et qui a souffert?

Patri. ℟. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. Croyez-vous au Saint-Esprit, la sainte eglise catholique, la communion des saints, la rémission des péchés, la resurrection de la chair et la vie eternelle?

Patri. ℟. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. N. Voulez-vous être baptisé?
Patri. ℟. Je le veux. *v.* Oui.

Litvanicè.

Sacerd. N. Ar tiki ing Diewa Tewa wisogalinti Sutwertoje Dangaus ir żiames?
Patrin. Tikiu.
Sacerd. Ar tiki ing Jezusa Christusa Sunu jo wienajti, Pona musu użgimusi ir numuczyta?
Patrin. Tikiu.
Sacerd. Ar tiki ing Dwase szwenta, szwenta Bażniczia wisuresanczia, szwentuju draugiste, grieku atlejdima, kuno isz numirusiu atsikelima, ir giwenima amżina?
Patrin. Tikiu.
Sacerd. N. Ar nori but apkryksztitas?
Patrin. Noriu.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem et de ea ter fundit super caput infantis in modum Crucis, et simul verba proferens semel tantum distinctè et attentè, dicit:

N. Ego te baptiso in nomine Patris †, *(fundat primo)* et Filii †, *(fundat secundo)* et Spiritus † Sancti, *(fundat tertio)*.

Mox Patrinus vel Matrina, vel uterque simul infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

Si vero dubitatur an infans fuerit baptisatus, utatur hac forma:

N. Si non es baptisatus, ego te baptiso in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; *(hic inungit)* ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

***Sac.* Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.**

Tum bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albae, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino, candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula coelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postremo dicit:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Si vero fuerint plures baptisandi, sive masculi, sive feminae; in Catechismo, masculi statuantur ad dexteram, feminae vero ad sinistram; et omnia pariter dicantur, ut supra, in proprio genere et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de fide, seu Symbolo, et ipse Baptismus, inunctio Chrisma-

tis, candidae vestis impositio, atque accensae candelae traditio, singulariter singulis; et primùm masculis, deinde feminis, fieri debent.

Si infans vel adultus aegrotus, adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam Baptismus perficiatur; Sacerdos, omissis quae Baptismum praecedunt, eum baptiset, ter vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum Crucis, dicens: Ego te baptiso, in nomine Patris, etc.

Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua simplici.

Deinde, si habeat Chrisma, liniat eum in vertice, dicens: Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, etc. *ut suprà.*

Postea dat illi linteolum candidum, dicens: Accipe vestem, etc.

Ac demum, det ei ceream candelam accensam, dicens: Accipe lampadem, etc. *ut suprà.*

Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi.

Admonendi sunt susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptisato, baptisatique patre et matre. Quae cognatio impedit matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus parentes infantis admoneri, ne in lecto secum ipsi, vel nutrices parvulum habeant, propter oppressionis periculum: sed eum diligenter custodiant, et opportunè ad christianam disciplinam instituant.

Commonendi sunt etiam parentes, et alii, si opus fuerit; ne filios hebraeis, aliisve infideli-

bus vel haereticis mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, et alia de administrato baptismo, ad praescriptam formam in baptismali libro Parochus accuratè describat.

DE BAPTISMO
ADULTORUM.

—

Si quis adultus sit baptisandus, debet prius secundum Apostolicam regulam in christiana fide ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas et propositum saepiùs explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptisari.

At verò si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptisarique voluerit, habita ratione periculi vel necessitatis, baptisetur.

Adultorum baptismus, ubi commodè fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si illi placuerit, ab eo solemnius conferatur. Alioquin Parochus ipse baptiset stata caeremonia.

Decet autem hujusmodi baptismum ex Apostolico instituto, in Sabbatho Sancto Paschatis, vel Pentecostes, solemniter celebrari.

Quare si circa haec tempora Catechumeni sint baptisandi, in ipsos dies, si nihil impediat, baptismum differri convenit.

Verum si circa, seu post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui aegre ferant suum Baptisma in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructique, ac ritè parati esse noscantur, citius baptisari possunt.

Catechumenus instructus baptisetur in Ecclesia seu in baptisterio. Patrinus ei assistat, et ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat: nisi mutus fuerit, aut omninò surdus, vel ignotae linguae: quo casu vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu consensum explicet suum.

Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptisabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos.

Quare non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset), eorum Baptisma celebretur.

Admonendus est Catechumenus, ut peccatorum suorum poeniteat.

Amentes et furiosi non baptisentur, nisi tales à nativitate fuerint: tunc enim de iis idem judicium ferendum est, quod de infantibus: atque in fide Ecclesiae baptisari possunt.

Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptisentur, si velint. Si veró antequam insanirent, suscipiendi baptismi desiderium ostenderint, ac vitae periculum im-

mineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptisentur.

Idemque dicendum est de eo, qui lethargo aut phrenesi laborat, ut tantùm vigilans et intelligens baptisetur; nisi periculum mortis impendeat, si in eo priùs apparuerit Baptismi desiderium.

Sacerdos diligenter curet, ut certior fiat de statu et conditione eorum, qui baptisari petunt, praesertim exterorum. De quibus facta diligenti inquisitione, num alias, ac ritè sint baptisati, caveat, ne quis jam baptisatus, imperitia, vel errore, aut ad quaestum, vel ob aliam causam, fraude, dolovè iterum baptisari velit.

Omnes autem, de quibus, re diligenter investigata probabilis, dubitatio est, an baptisati fuerint, si nihil aliud impediat, sub conditione baptisentur.

Haeretici verò ad catholicam Ecclesiam venientes, in quorum baptismo debita forma, aut materia servata non est, ritè baptisandi sunt; sed priùs errorum suorum pravitatem agnoscant et detestentur, et in fide catholica diligenter instruantur. Ubi verò debita forma et materia servata est, omissa tantum suppleantur; nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur.

Caeterùm legantur et serventur ea, quae suprà de Baptismo in communi praescripta sunt, folio 9.

ORDO BAPTISMI
ADULTORUM.

Imprimis Sacerdos paratis his, quae suprà de observandis in administratione Sacramenti Baptismi parvulorum dicuntur, indutus superpelliceo et stola, vel etiam pluviali violacei coloris, cum suis Clericis accedit ad gradus altaris, et genibus flexis, pia mente ad Deum preces effundit, ut tantum Sacramentum dignè valeat ministrare, et ad implorandum divinum auxilium, surgens se signat, et si temporis ratio ferat, dicit:

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, etc.

Antiphona.

Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

PSALMUS 8.

Domine, Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli et pisces maris: qui perambulant semitas maris.

Domine, Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, etc.

PSALMUS 28.

Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini praeparantis cervos, et

revelabit condensa: et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus Rex in aeternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

PSALMUS 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

Haec recordatus sum et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: et quare conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim, a monte modico.

Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua et fluctus tui: super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitae meae: dicam Deo, susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio et nunc, etc.

Et repetitur Antiph: Effundam super vos aquam mundam, *etc. ut supra.*

Kyrie elejson, Christe elejson. Kyrie elejson. Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quod humilitatis nostrae gerendum est ministerio, tuae virtutis impleatur effectu.

Da, quaesumus Domine, Electo nostro, ut sanctis edoctus mysteriis, et renovetur fonte Baptismatis, et inter Ecclesiae tuae membra numeretur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si plures fuerint baptisandi, haec tertia oratio dicatur in numero plurali.

Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiae, et stat in limine, catechisandus vero extra limen. Et si sunt plures, mares et feminae, illi ad dexteram Sacerdotis, hae vero ad sinistram statuantur, et Sacerdos interrogat:

Polonicè.

Sac. Jak ci imię? *Catechum.* ℟. N.
Sac. N. Czego żądasz od Kościoła Bożego?
Cat. ℟. Wiary.
Sac. Wiara coć dawa?
Cat. ℟. Żywot wieczny.

Sac. Jeśli chcesz wnijść do żywota wiecznego, chowaj przykazania. Będziesz miłował, *lub miłowała*, Pana Boga twego ze wszystkiego serca twego, i ze wszystkiej duszy twojej, i ze wszystkiej myśli twojej, a bliźniego twego jako siebie samego, *lub samą*. Na tych dwóch przy-

kazaniach zawisło całe prawo i proroctwa. Wiara zaś jest ta, abyś jednego Boga w Trójcy, a Trójcę czcił w jedności natury, nie mieszając osób, ani oddzielając Bóstwa. Inna bowiem jest osoba Ojca, inna Syna, inna Ducha ś. ale tych trzech osób jedno jest jestestwo, i tylko jedno Bóstwo.

Sac. N. Odrzekasz się czarta?

Cat. ℟. Odrzekam.

Sac. I wszystkich spraw jego?

Cat. ℟. Odrzekam.

Sac. I wszelkiej pychy jego?

Cat. Odrzekam.

Sac. Wierzysz w Boga Ojca wszechmogącego, Stworzyciela nieba i ziemi?

Cat. ℟. Wierzę.

Sac. Wierzysz w Jezusa Chrystusa, Syna Jego jedynego, Pana naszego, narodzonego i umęczonego?

Cat. ℟. Wierzę.

Sac. Wierzysz w Ducha Swiętego, święty Kościół powszechny, świętych obcowanie, grzéchów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie, i żywot wieczny?

Cat. ℟. Wierzę.

Germanicè.

Sac. Wie heißt dein Name?
Cat. N.
Sac. N. Was gebehrest du von der Kirche Gottes?
Cat. Den Glauben.
Sac. Was giebt dir der Glaube?
Cat. Das ewige Leben.
Sac. Willst du zum ewigen Leben eingehen, so halte die Gebote: Du sollst den Herrn deinen Gott lieben aus deinem ganzen Herzen, aus deiner ganzen Seele, aus deinem ganzen Gemüthe, und deinen Nächsten als dich selbst. In diesen zwei Geboten hängt das ganze Gesetz und die Propheten. Der wahre Glaube aber ist: daß du verehrest einen Gott in der heiligen Dreifaltigkeit und die Dreifaltigkeit in der heiligen Einigkeit; denn Gott Vater, Sohn, und heiliger Geist sind drei Personen, aber nur ein Wesen und eine Gottheit.
Sac. N. Widersagst du dem Teufel?
Cat. Ja, ich widersage.

Sac. Und allen seinen Werken?
Cat. Ja, ich widersage.
Sac. Und aller seinen Hoffahrt?
Cat. Ja, ich widersage.
Sac. Glaubst du in Gott den Vater, den allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erde?
Cat. Ja, ich glaube.
Sac. Glaubst du auch in Jesum Christum, seinen einigen Sohn, unsern Herrn, der geboren ist, und gelitten hat?
Cat. Ja, ich glaube.
Sac. Glaubst du auch an den heiligen Geist, eine, heilige, allgemeine Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Ablaß der Sünden, Auferstehung des Fleisches, und ein ewiges Leben?
Cat. Ja, ich glaube.

Gallicè.

Sac. Quel est votre nom?
Cat. N.
Sac. N. Que demandez-vous de l'eglise de Dieu?
Cat. La foi.

Sac Que vous donne la foi?

Cat. La vie éternelle.

Sac. Si vous voulez entrer dans la vie éternelle, gardez les commandemens: Vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre coeur, de toute votre âme, et de tout votre esprit, et votre prochain comme vous-même. Toute la loi et les prophètes sont renfermés dans ces deux commandemens. Or la foi consiste à adorer un seul Dieu en trois Personnes, et trois Personnes en une seule Divinité, sans confondre les personnes, ni séparer la Divinité, car autre est la Personne du Père, autre celle du Fils, autre celle du Saint-Esprit; mais ces trois Personnes n'ont qu'une seule substance, et une seule Divinité.

Sac. N. Renoncez-vous à Satan?

Cat. J'y renonce. *v.* Oui.

Sac. Renoncez - vous à toutes ses oeuvres?

Cat. J'y renonce. *v.* Oui.

Sac. Renoncez - vous à toutes ses pompes?

Cat, J'y renonce. *v.* Oui.

Sac. Croyez - vous en Dieu le Père

tout-puissant, Créateur du ciel et de la terre?

Cat. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. Croyez-vous en Jésus Christ son Fils unique notre Seigneur, qui est né et qui a souffert?

Cat. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. Croyez-vous au Saint-Esprit, la Sainte Eglise Catholique, la Communion des Saints, la rémission des péchés, la resurrection de la chair, et la vie éternelle?

Cat. J'y crois. *v.* Oui.

Tunc Sacerdos exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens:

Masculum.	Feminam.
Exi ab eo spiritus immunde, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.	Exi ab ea spiritus immunde, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Hic in modum Crucis halet in faciem Electi aut Electae, et si plures sint, halat in faciem uniuscujusque, singillatim super singulos dicens:

MASCULUM	FEMINAM
N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictionem †.	N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictionem †.
Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.	Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Deinde facit Crucem cum pollice in ejus fronte et in pectore, et si plures sint, facit eam in frontibus et pectoribus singulorum, super unumquemque singillatim dicens:

MASCULUM	FEMINAM
N. Accipe signum Crucis, tam in fronte †, quam in corde †, sume fidem coelestium praeceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis: ingressusque Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis laetus agnosce. *Horresce idola, respue simulacra,* cole Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Chri-	N. Accipe signum Crucis, tam in fronte †, quam in corde †, sume fidem coelestium praeceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis: ingressaque Ecclesiam Dei, evasisse te laqueos mortis laeta agnosce. *Horresce idola, respue simulacra,* cole Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Chri-

MASCULUM	FEMINAM
stum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.	stum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui ventutur est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Hic advertendum est, quod dicta verba: Horresce idola, respue simulacra, *dicantur Catechumeno, qui venit de gentilitatis errore, seu de ethnicis et idololatris. Catechumeno vero judaeo, sive ex hebraeis venienti, loco horum verborum dicatur:* Horresce judaicam perfidiam, respue hebraicam superstitionem. *Saraceno autem vel Turcae, aut Persae, sive alii ex Mahometanis ad fidem venienti catechumeno, loco eorundem verborum dicatur:* Horresce Mahometicam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

At haeretico ad catholicam Ecclesiam venienti, qui, si in ejus baptismo debita forma servata non est, baptisari debet, dicatur: Horresce haereticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum. *Vel exprimatur proprio nomine secta, de qua catechumenus venit.*

Si plures sint electi vel electae, sequens oratio dicitur in numero plurali.

MASCULUM

OREMUS.

Te deprecor, Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, ut huic famulo tuo N. qui in hujus saeculi nocte vagatur incertus ac dubius, viam veritatis et agnitionis tuae jubeas demonstrari: quatenus reseratis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoscat, atque hujus confessionis fructum, et hic, et in futuro saeculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

FEMINAM

OREMUS.

Te deprecor, Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, ut huic famulae tuae N. quae in hujus saeculi nocte vagatur incerta ac dubia, viam veritatis et agnitionis tuae jubeas demonstrari: quatenus reseratis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoscat, atque hujus confessionis fructum, et hic, et in futuro saeculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde signat electum vel electam signo Crucis cum pollice. Et si plures sint, hae si-

gnationes fiant cum suis verbis, singillatim super singulos.

In fronte dicens: Signo tibi frontem †, ut suscipias Crucem Domini.

In auribus. Signo tibi aures †, ut audias Divina praecepta.

In oculis. Signo tibi oculos †, ut videas claritatem Dei.

In naribus. Signo tibi nares †, ut odorem svavitatis Christi sentias.

In ore. Signo tibi os †, ut loquaris verba vitae.

In pectore. Signo tibi pectus †, ut credas in Deum.

In scapulis. Signo tibi scapulas †, ut suscipias jugum servitutis ejus.

In fronte dicens: Signo tibi frontem †, ut suscipias Crucem Domini.

In auribus. Signo tibi aures †, ut audias Divina praecepta.

In oculis. Signo tibi oculos †, ut videas claritatem Dei.

In naribus. Signo tibi nares †, ut odorem svavitatis Christi sentias.

In ore. Signo tibi os †, ut loquaris verba vitae.

In pectore. Signo tibi pectus †, ut credas in Deum.

In scapulis. Signo tibi scapulas †, ut suscipias jugum servitutis ejus.

In toto corpore illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit:

MASCULUM	FEMINAM
Signo te totum, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † Sancti, ut habeas vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.	Signo te totam, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † Sancti, ut habeas vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Si plures sint electi aut electae, sequens oratio: Preces nostras, *item tertia, quae incipit:* Omnipotens sempiterne Deus, *dicantur in numero plurali.*

OREMUS.	OREMUS.
Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum N. Crucis Dominicae, cujus impressione eum signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam	**P**reces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, et hanc electam tuam N. Crucis Dominicae, cujus impressione eam signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam

MASCULUM	FEMINAM
mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.	mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christrum Dominum nostrum. ℟. Amen.
OREMUS.	OREMUS.
Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare populis adoptivis, et novo testamento sobolem, novae prolis adscribe; ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.	Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare populis adoptivis, et novo testamento sobolem, novae prolis adscribe; ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc imponit manum super caput electi aut electae, et si plures sint, super capita singulorum, et dicit:

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus: aperi ei Domine januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad svavem odorem praeceptorum tuorum, laetus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris super hanc famulam tuam N. quam ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem caecitatem cordis ab ea expelle, disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligata: aperi ei Domine januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbuta, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad svavem odorem praeceptorum tuorum, laeta tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut

idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, perceptâ medicinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

idonea efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, perceptâ medicinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicit sal, ut supra fol. 21, nisi adsit jam benedictum.

Si Catechumenus sit gentilis, ante usum salis, dicitur oratio: Domine Sancte, *ut infra notatur fol. 63. Secus statim Sacerdos, pollice et indice accipit de ipso sale, et immittit in os Catechumeni, dicens:*

N. Accipe sal sapientiae, propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

N. Accipe sal sapientiae, propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Si plures sint electi, dicatur singulis N. Accipe sal etc. *Et sequens oratio dicitur in numero plurali, secus in singulari:*

OREMUS.

Deus Patrum nostrorum, Deus uni-

OREMUS.

Deus Patrum nostrorum, Deus uni-

versae conditor veritatis: te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur coelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum; ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

versae conditor veritatis: te supplices exoramus, ut hanc famulam tuam N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quominus cibo expleatur coelesti, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eam Domine, quaesumus, ad novae regenerationis lavacrum; ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quod si catechumenus vel catechumena fuerit gentilis, seu ex idololatris venerit ad fidem; benedicto sale, priusquam ejus medicinam gustet, Sacerdos addat sequentem orationem, quae dicenda est in numero plurali, si plures sint, secus dicitur in singulari.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, qui es, qui eras, et qui permanes usque in finem, cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest: te supplices invocamus, super hunc famulum tuum N. quem liberasti de errore gentilium, et conversatione turpissima; dignare exaudire eum, qui tibi cervices suas humiliat ad lavacri fontem, ut renatus

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens aeterne Deus, qui es, qui eras, et qui permanes usque in finem, cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest: te supplices invocamus, super hanc famulam tuam N. quam liberasti de errore gentilium, et conversatione turpissima; dignare exaudire eam, quae tibi cervices suas humiliat ad lavacri fontem, ut renata

ex aqua et Spiritu Sancto, expoliatus veterem hominem, induat novum, qui secundum te creatus est; accipiat vestem incorruptam et immaculatam, tibique Deo nostro servire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.	ex aqua et Spiritu Sancto, expoliata veterem hominem, induat novum, qui secundum te creatus est; accipiat vestem incorruptam et immaculatam, tibique Deo nostro servire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos dicat super catechumenum aut catechumenam:

Módl się wybrany, klęknij i mów: Ojcze nasz i t. d.	Módl się wybrana, klęknij i mów: Ojcze nasz i t. d.

Et Electus vel Electa genuflexus orat, et dicit: Pater noster etc. *Et cum oraverit et dixerit:* Pater noster, *usque ad,* Sed libera nos a malo, *inclusive, Sacerdos subjungit:*

Wstań, dokończ modlitwy twojej i mów: Amen.	Wstań, dokończ modlitwy twojej i mów: Amen.

Et Electus aut Electa surgens dicit: Amen: Sacerdos dicit Patrino:

Przeżegnaj go na czole.	Przeżegnaj ją na czole.

Ad Electum autem vel Electam dicit:

Przybliż się.	Przybliż się.

Et Patrinus pollice signat eum vel eam in fronte, dicens:

W Imię Ojca, i Syna, i Ducha Swiętego.	W Imię Ojca, i Syna, i Ducha Swiętego.

Sed si plures sint Catechumeni aut Catechumenae, Sacerdos dicat in numero plurali.

Módlcie się wybrani *lub wybrane*, klęknijcie i mówcie: Ojcze nasz.

Et cum oraverint et dixerint: Pater noster, *usque ad*, Sed libera nos a malo, *inclusive, Sacerdos subjungit:* Wstańcie, dokończcie modlitwy waszej i mówcie: Amen. *Et isti vel istae respondent:* Amen. *Et Sacerdos dicit Patrino:* Przeżegnaj ich *lub je* na czole. *Deinde Electis:* Przystąpcie. *Et Patrinus pollice signat eos vel eas in fronte, dicens:* W Imię Ojca i t. d.

Germanicè.

Ad elect. Auserwählter! knie nieder, und bete: das Vater unser u. s. w.

Item. Steh auf, vollende dein Gebet, und sprich: Amen.

Ad Patr. Bezeichne ihn mit dem heiligen Kreüze.

Ad elect. Nahe dich.

Patrinus. Im Namen des Vaters, und des Sohnes, und des heiligen Geistes.

Gallicè.

Elu mettez-vous à genoux, et récitez le Pater etc.

Levez-vous, finissez votre oraison, et dites: Amen.

Ad Patr: Signez-le de la sainte croix.

Ad Electum: Approchez-vous.

Patrinus: Au nom du Père, du Fils, et du Saint-Esprit.

Tum quoque Sacerdos facit crucem in fronte ejus, aut eorum, si plures sint, dicendo:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.	In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti.

Et imponit manum super Electum aut Electam, et dicit in numero singulari; nisi plures fuerint; tunc imponit manum super singulos, ac dicit sequentem orationem et exorcismum in numero multitudinis et in genere proprio.

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Mojsi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Isràél de terra Aegypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuae, qui custodiret eos die ac nocte: te quaesumus Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui similiter custodiat et hunc famulum tuum N. et perducat eum ad gratiam Ba-

OREMUS.

Deus coeli, Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium: Deus cui omnis lingua confitetur, et omne genu flectitur coelestium, terrestrium et infernorum: te invoco, Domine, super hanc famulam tuam N. ut eam custodire et

ptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

perducere digneris ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

EXORCISMUS.

Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus et Spiritui Sancto: recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nun-

Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus et Spiritui Sancto: recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam fontemque Baptismatis vocare dignatus est, et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nun-

quam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.
℟. Amen.

quam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.
℟. Amen.

Item super unum, vel unam secundo dicit:

Módl się wybrany, klęknij i mów: Ojcze nasz. *Item* Wstań dokończ modlitwy twojej i mów: Amen.

Electus surgens dicit: Amen.

Sacerdos Patrino dicit: Przeżegnaj go na czole: *Ad Electum:* Przybliż się. *Et Patrinus eum pollice signat in fronte, dicens:* W Imię Ojca i t. d.

Módl się wybrana, klęknij i mów: Ojcze nasz *Item.* Wstań i dokończ modlitwy twojej i mów: Amen.

Electa surgens dicit: Amen.

Sacerdos Patrino dicit: Przeżegnaj ją na czole. *Ad Electam:* Przybliż się. *Et Patrinus eam pollice signat in fronte, dicens:* W Imię Ojca i t. d.

Sed si plures sint Catechumeni vel Catechumenae Sacerdos in numero plurali dicit:

Módlcie się wybrani *lub wybrane*, klęknijcie etc. *reliqua ut supra pag.* 65. *usque ad Orationem*, Deus Abraham, *exclusive*.

Germanicè.

Knie nieder Auserwählter, und bete das Vater unser.

Item. Steh auf, vollende dein Gebet, und sprich: Amen.

Ad Patr. Bezeichne ihn mit dem heiligen Kreuze.

Ad Elect. Nahe dich.

Patrinus. Im Namen des Vaters u. s. w.

Gallicè.

Mettez-vous à genoux et récitez le Pater etc.

Item: Levez-vous, finissez votre oraison, et dites. Amen.

Ad Patr. Signez-le de la sainte croix.

Ad Electum. Approchez-vous.

Patrinus. Au Nom du Père etc.

Tum quoque Sacerdos eum vel eam signat in fronte, dicens: In nomine Patris etc.

Deinde Sacerdos imponit manum super Electum, vel super singulos Electos, si plures sint, et dicit sequentem Orationem et exorcismum in numero singulari, si unus sit Electus, vel in plurali, si sint plures:

OREMUS.

Deus immortale praesidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, resurrectio mortuorum, te invoco super hunc famulum tuum N. qui Baptismi tui donum petens, aeternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat: accipe eum Domine, et quia dignatus es dicere: petite et ac-

Deinde Sacerdos dicit in numero singulari, si una sit Electa, vel in plurali si plures sint, sequentem Orationem.

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israël de terra Aegypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuae, qui custodiret eos die ac nocte: te quaesumus Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui similiter custodiat et hanc famulam tuam N. et perducat eam ad gratiam Baptismi

cipietis, quaerite et invenietis: pulsate et aperietur vobis: petenti praemium porrige, et januam pande pulsanti ut aeternam coelestis lavacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum.

℟. Amen.

EXORCISMUS.

Audi maledicte satana, adjuratus per nomen aeterni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi Filii ejus, cum tua victus invidia tremens gemensque dicitui. Per Christum Dominum nostrum. ℣. Amen.

Item super unam tertio dicit:

Módl się wybrana, klęknij i mów: Ojcze nasz.

Et electa genuflectens orat, et dicit: Pater noster, *usque ad haec verba inclusive:* Sed libera nos a malo *Tum Sacerdos subjungit:*

Wstań dokończ modlitwy twojej i mów: Amen.

Et electa surgens dicit: Amen.

Sacerdos dicit Patrino: Przeżegnaj ją na czole.

Et ad Electam dicit: Przybliż się.

Et Patrinus pol-

scede; nihil tibi sit commune cum servo Dei N. jam coelestia cogitante, renuntiaturo tibi et saeculo tuo, et beatae immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa coeli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum, et habitaculum perficiet, ut ab omnibus penitus noxiis praeteritorum criminum liberatus servus Dei, gratias perenni Deo referat semper, et benedicat nomen sanctum ejus in saecula saeculorum. ℟. Amen.

lice signat eam in fronte, dicens:

W Imię Ojca i t. d.

Tum quoque Sacerdos facit crucem in fronte ejus dicendo: In nomine Patris etc.

Sed si plures sint Electae, dicitur:

Módlcie się wybrane, klęknijcie i mówcie: Ojcze nasz i t. d.

Et cum flectendo dixerint: Pater noster, *usque ad*, libera nos a malo, *inclusive. Tum Sacerdos dicit:* Wstańcie, dokończcie modlitwy waszej i mówcie: Amen. *Et istae respondent:* Amen. *Et Sacerdos dicit Patrino:* Przeżegnaj

Item super unum tertio dicat:

Módl się wybrany, klęknij i mów: Ojcze nasz i t. d.

Et Electus genuflex. dicit: Pater etc.

Et cum oraverit usque ad: Sed libera nos a malo, *inclusive:*

Tum Sacerdos: Wstań dokończ modlitwy twojej i mów: Amen.

Electus surgens dicit: Amen.

Sacerdos Patrino: Przeżegnaj go na czole: *Electo autem:* Przybliż się:

Et Patrinus eum pollice signat:

W Imię Ojca i t.d.

Sed si plures Electi sint, Sacerdos dicat in numero plurali:

je na czole. *Deinde Electis:* Przybliżcie się. *Et Patrinus pollice signat eas in fronte, dicens:* W Imię Ojca i t. d.

Tum quoque Sacerdos facit crucem in fronte earum, dicendo: In nomine Patris etc.

Vide hujusmodi interrogationes ac signationes germanico et gallico idiomate fol. 70.

Post hanc tertiam signationem, imponit Sacerdos manum super Electam, et si plures sint, super singulas, et dicit juxta numerum Electarum vel in singulari numero, si una sit; aut in plurali, si plures sint, id quod sequitur:

Módlcie się wybrani, klęknijcie i mówcie: Ojcze nasz.

Reliqua ut supra pag. 65, *usque ad Orationem:* Deus Abraham, *exclusive.*

Vide hujusmodi interrogationes ac signationes germanico ac gallico idiomate fol. 70.

Tum quoque Sacerdos facit Crucem in fronte illius, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde imponit manum super eum dicens:

EXORCISMUS.

Exorciso te immunde spiritus: in nomine Patris †, et

EXORCISMUS.

Exorciso te immunde spiritus, per Patrem †, Filium †, et Spiritum † Sanctum, ut exeas et recedas ab hac famula Dei N. ipse tibi imperat maledicte, damnate, qui caeco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus et Spiritui Sancto; et recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad

Filii †, et Spiritus † Sancti, ut uxeas et recedas ab hoc famulo Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte diabole, recognosce sententiam etc. *vide pag.* 68.

suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctae Crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Haec, quae sequuntur usque ad finem, dicuntur super utrumque sexum in genere proprio.

Sacerdos imponit manum super caput Electi aut Electae, et si plures sint super capita singulorum, et dicit vel in numero singulari si unus aut una sit, vel in plurali, si plures fuerint, id quod sequitur:

Aeternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte Pater

omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum *vel hanc famulam tuam*, ut digneris eum, *vel eam*, illuminare lumine intelligentiae tuae, munda eum, *vel eam*, et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus, *vel digna*, efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus *vel apta* sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His peractis, Sacerdos sinistra manu apprehendens dextram Electi vel Electae prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolae, introducit eum vel eam in Ecclesiam, dicens:

Polonicè.

N. Wnijdź do kościoła Bożego świętego, abyś od Pana Jezusa Chrystusa wziął *lub wzięła* błogosławieństwo niebieskie, i miał *lub miała* część z Nim i z Świętymi Jego. ℟. Amen.

Si plures fuerint, dicat in numero plurali:

Wnijdźcie do kościoła Bożego i t. d.

Et introducit eos easque ut supra.

Germanicè.

N. Gehe ein in die heilige Kirche Gottes, um den himmlischen Segen vom Herrn Jesu Christo zu empfangen, und mit ihm und seinen Heiligen Theil zu nehmen. ℟. Amen.

Gallicè.

N. Entrez dans la sainte eglise de Dieu, pour récevoir la benediction céléste du Seigneur Jesus-Christ, et avoir votre part avec lui et ses saints.

℟. Amen.

Electus aut Electa introductus vel introducta in Ecclesiam procumbit, seu prosternit se in pavimento et adorat. Deinde surgit, et Sacerdos imponit manum super caput ejus, et Electus aut Electa cum eo recitat Symbolum Apostolorum, et Orationem Dominicam.

Ita etiamsi plures fuerint, omnes surgunt, et simul recitant:

Polonicè.

Wierzę w Boga Ojca wszechmogącego, stworzyciela nieba i ziemi. I w Jezusa Chrystusa Syna Jego jedynego Pana naszego. Który się począł z Ducha świętego, narodził się z Maryi Panny.

Umęczon pod Pontskim Piłatem, ukrzyżowan umarł i pogrzebion. Wstąpił do piekłów, trzeciego dnia zmartwychwstał. Wstąpił na niebiosa, siedzi na prawicy Boga Ojca wszechmogącego. Ztamtąd przyjdzie sądzić żywych i umarłych. Wierzę w Ducha świętego, święty kościół powszechny, Swiętych obcowanie, grzechów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie. Żywot wieczny. Amen.

Ojcze nasz, któryś jest w niebie. Swięć się imię twoje. Przyjdź królestwo twoje. Bądź wola twoja, jako w niebie tak i na ziemi. Chleba naszego powszedniego daj nam dzisiaj. I odpuść nam nasze winy, jako i my odpuszczamy naszym winowajcom. I nie wwodź nas na pokuszenie, ale nas zbaw odezłego. Amen.

Germanicè.

Ich glaube an Gott den Vater, den allmächtigen Schöpfer des Himmels und der Erde. Und an Jesum Christum, seinen einigen Sohn, unsern Herrn. Der empfangen ist von dem heiligen Geiste, geboren aus Maria der Jungfrau.

Gelitten unter Pontio Pilato, gekreuziget, gestorben und begraben. Abgestiegen zu der Hölle. Am dritten Tage wieder auferstanden von den Todten. Aufgefahren in den Himmel, er sitzt zur rechten Hand Gottes des allmächtigen Vaters. Von dannen er kommen wird zu richten die Lebendigen und die Todten. Ich glaube an den heiligen Geist. Eine heilige, allgemeine, christliche Kirche. Gemeinschaft der Heiligen. Ablaß der Sünden. Auferstehung des Fleisches. Und ein ewiges Leben. Amen.

Vater unser, der Du bist im Himmel. Geheiliget werde dein Name. Zukomme uns dein Reich. Dein Wille geschehe wie im Himmel also auch auf Erden. Gieb uns heute unser tägliches Brod. Und vergieb uns unsere Schulden, als auch wir vergeben unsern Schuldigern. Un führe uns nicht in Versuchung sondern erlöse uns von dem Uebel. Amen.

Gallicè.

Je crois en Dieu le Père tout-puissant, Créateur du ciel et de la terre, et en Jesus-Christ son Fils unique, notre Seigneur: qui a été conçu du Saint-Esprit, né de la vierge Marie, a souffert

sous Ponce Pilate, a été crucifié, mort et enseveli, est descendu aux enfers, et le troisième jour est resuscité des morts: il est monté aux cieux, est assis à la droite de Dieu le Père tout-puissant, d'où il viendra juger le vivans et les morts. Je crois au Saint-Esprit, la sainte église catholique, la communion des Saints, la rémission de péchés, la résurrection de la chair, la vie éternelle. Ainsi soit-il.

Notre Père, qui êtes dans les cieux, que votre nom soit sanctifié, que votre royaume nous soit donné, que votre volonté soit faite en la terre comme au ciel: donnez-nous aujourd'hui notre pain quotidien, et nous pardonnez nos offenses, comme nous pardonnons à ceux, qui nous ont offensés, et ne nous induisez point en tentation, mais délivrez-nous du mal. Ainsi soit-il.

Tunc rursus Sacerdos imponat manum super caput Electi vel Electae et dicit in numero singulari. Si vero plures fuerint, imponit manum super capita singulorum ac dicit in numero multitudinis et in genere suo sequentem exorcismum.

EXORCISMUS.

Nec te latet satana, imminere tibi poenas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atque universis angelis tuis praeparatus sempiternus erit interitus. Proinde damnate, atque damnande, da honorem Deo vivo et vero; da honorem Jesu Christo Filio ejus; da honorem Spiritui Sancto Paraclito, in cujus nomine atque virtute praecipio tibi, quicunque es, spiritus immunde, ut exeas et recedas ab hoc famulo *vel famula* Dei N. quem *vel quam* hodie idem Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, fontemque baptismatis dono vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

℟. Amen.

Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares Electi vel Electae: tangendo vero aurem dextram et sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est, adaperire.

Deinde tangendo nares dicat:

In odorem svavitatis. ***et subdit:***

Tu autem effugare diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

Deinde iterrogat Electum aut Electam:

Polonicè.

Sac. Jak ci imię? *Cat.* ℟. N.
N. Odrzekasz się szatana?
℟. Odrzekam.
I wszystkich spraw jego?
℟. Odrzekam.
I wszelkiej pychy jego?
℟. Odrzekam.

Germanicè.

Sacer. Wie heißt du?
Cat. N.
Sacer. N. Widersagst du dem Teufel?
Cat. Ja, ich widersage.

Sacer. Und allen seinen Werken?
Cat. ℟. Ja, ich widersage.
Sacer. Und aller seiner Hoffarth?
Cat. Ja, ich widersage.

Gallicè.

Sac. Quel est votre nom?
Cat. N.
Sac. N. Renoncez-vous à Satan?
Cat. ℟. J'y renonce. *v.* Oui.
Sac. Renoncez-vous à toutes ses oeuvres?
Cat. J'y renonce. *v.* Oui.
Sac. Renoncez-vous à toutes ses pompes?
Cat. ℟. J'y renonce. *v.* Oui.

Tunc Sacerdos intingit pollicem dextrae manus in Oleo sancto Catechumenorum, et inungit Electum, vel Electam primum in pectore, deinde inter scapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te linio oleo salutis ✝ in Christo Jesu Domino nostro, in vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Mox bombacio, vel re simili tergit pollicem et loca inuncta, et subjungit dicens:

Exi immunde spiritus, et da honorem Deo vivo et vero. Fuge immunde spiritus, et da locum Jesu Christo Filio ejus. Recede immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Quando plures sunt Electi aut Electae idem fit circa singulos eorum. Et ducitur Electus vel Electa ad baptisterium: ubi si ob aliquam causam non habeatur, sive praeparata non fuerit aqua baptismalis, fiat benedictio fontis, ut infra ponitur, et cum fuerit prope fontem, Sacerdos interrogat:

Polonicè.

Sac. Jak ci imię? *Catechum.* ℟. N.
Sac. N. Wierzysz w Boga Ojca wszechmogącego, stworzyciela nieba i ziemi?
Cat. ℟. Wierzę.
Sac. Wierzysz w Jezusa Chrystusa, Syna Jego jedynego, Pana naszego, narodzonego i umęczonego?
Cat. ℟. Wierzę.
Sac. Wierzysz w Ducha Świętego, święty Kościół powszechny, Swiętych

obcowanie, grzechów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie, żywot wieczny?

Cat. ℟. Wierzę.

Sac. *Iterum iterrogat dicens:* Czego żądasz?

Cat. ℟. Chrztu.

Sac. Chcesz być ochrzczony?

Cat. ℟. Chcę.

Germanicè.

Sac. Wie heißt du?

Cat. ℟. N.

Sacer. N. Glaubst du an Gott den Vater, den allmächtigen Schöpfer des Himmels und der Erde?

Cat. ℟. Ja, ich glaube.

Sacer. Glaubst du auch an Jesum Christum, seinen einigen Sohn, unsern Herrn, der geboren ist, und gelitten hat?

Cat. ℟. Ja, ich glaube.

Sacer. Glaubst du an den heiligen Geist, eine heilige, allgemeine, christliche Kirche, die Gemeinschaft der Heiligen, Vergebung der Sünden, Auferstehung des Fleisches und ein ewiges Leben?

Cat. ℟. Ja, ich glaube.

Sac. N. Was gebehrest du?
Cat. Die Taufe.
Sac. N. Willst du getauft werden?
Cat. Ja, ich will.

Gallicè.

Sac. Quel est votre nom?
Cat. N.
Sac. N. Croyez-vous en Dieu le Père tout-puissant, Créateur du ciel et de la terre?
Cat. ℟. J'y crois. *v.* Oui.
Sac. Croyez-vous en Jésus Christ, son Fils unique, notre Seigneur, qui est né et qui a souffert?
Cat. ℟. J'y crois. *v.* Oui.
Sac. Croyez-vous au Saint-Esprit, la sainte eglise catholique, la communion des saints, la rémission des péchés, la resurrection de la chair et la vie eternelle?
Cat. ℟. J'y crois. *v.* Oui.
Sac. Que demandez-vous?
Cat. La baptême.
Sac. N. Voulez-vous être baptisé?
Cat. Je le veux.

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) admota manu, tenente seu tangente Electum, vel Electam, aperto capite, et laxatîs à collo vestibus, inclinatum, Sacerdos vasculo vel urceolo haurit aquam baptismalem de fonte, et cum ea sub trina supra caput in modum Crucis infusione baptiset Electum, seu Electam, in nomine Sanctae Trinitatis, sic dicens:

N. Ego te baptiso in nomine Patris ✝, *(fundat primo)* et Filii ✝, *(fundat secundo)* et Spiritus ✝ Sancti, *(fundat tertio)*.

Si aqua, quae ex capite baptisati defluit, non dilabitur in Sacrarium baptisterii, recipiatur in subjecta aliqua pelvi, et in illud postmodum proiciatur. Cum plures sunt Electi, singillatim singuli interrogantur et baptisantur, ut supra. *Si sunt mares et feminae, primum mares deinde feminae. Verum si probabiliter dubitetur, an electus vel electa fuerit alias baptisatus, dicat Sacerdos:*

N. Si non es baptisatus, ego te baptiso in nomine Patris ✝, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti.

Deinde Sacerdos intingat pollicem dextrum in Sacrum Chrisma, et perungat verticem Electi vel Electae in modum crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Tunc bombacio vel re simili pollicem tergit, et imponit capiti Electi aut Electae Chrismale, seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Et Electus deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam à Sacerdote accipit. Postea dat ei Sacerdos cereum seu candelam accensam in manu dextra, dicens:

Accipe lampadem ardentem et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula coelesti, in vitam aeternam.

℟. Amen.

Ipse vero Neophytus eundem cereum accensum manibus teneat usque in finem, praeterquam dum confirmatur.

In ecclesiis autem, ubi Baptismus fit per mersionem, sive totius corporis, sive capitis tantum, Sacerdos accipiat electum per brachia prope humeros, et superiore parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, et toties elevando, baptiset sub trina mersione, Sanctam Trinitatem semel tantum sic invocando:

Ego te baptiso, in nomine Patris ✝, *mergat semel,* **et Filii ✝,** *mergat iterum,* **et Spiritus Sancti ✝,** *mergat tertio.*

Patrino, vel Matrina, vel utroque eum tenente, vel tangente.

Et cum Electus surrexerit de fonte, Patrinus vel Matrina, cum linteo in manibus suscipit eum de manu Sacerdotis, et Sacerdos intincto pollice dextro in Sacro Chrismate, illum in vertice in modum Crucis perungit dicens: Deus Omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi etc. *ut supra. Deinde Sacerdos imponit capiti ejus linteolum seu Chrismale, et dat ei vestem candidam, dicens:* Accipe vestem candidam etc. *ut supra.*

Et statim praedicto linteo abstergitur, et in loco semoto vestitur novis et albis vestibus, et exteriore candida, quam accepit.

Postea dat ei Sacerdos candelam accensam in dextra manu, dicens: Accipe lampadem etc. *ut supra. Eodem modo si plures fuerint, fit super singulis.*

Postremo dicit:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Si adsit Episcopus, qui id legitimè praestare possit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur: deinde si hora congruens fuerit, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, et Sanctissimam Eucharistiam devotè suscipiunt.

Si vero ob baptisandorum multitudinem (ut in India et novo Orbe quandoque contingit) in singulorum Baptismo praescripti ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus simul adhibeantur, vel si urget necessitas, omittantur.

ORDO
SUPPLENDI OMISSA SUPER BAPTISATUM.

Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, sive parvulus, sive adultus, sacris precibus ac caeremoniis praetermissis, fuerit baptisatus; ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) praescriptus est. Excepto quod interrogatio, an velit baptisari, formaque baptismi et ablutio praetermittuntur, et quaedam Orationes et Exorcismi suo quique loco immutati, ut infra dicuntur.

SACERDOS INTERROGAT.

Polonicè.

N. Czego żądasz od Kościoła Bożego?
Pat. ℟. Wiary.
Sac. Wiara coć dawa?
Pat. ℟. Żywot wieczny.
Sac. Jeśli chcesz wnijść do żywota wiecznego, chowaj przykazania. Będziesz miłował, *lub miłowała*,

Pana Boga twego ze wszystkiego serca twego, i ze wszystkiej duszy twojej, i ze wszystkiej myśli twojej, a bliźniego twego jako siebie samego, *lub samą*.

Germanicè.

Sacer. N. Was begehrest du von der Kirche Gottes?

Patri. ℟. Den Glauben.

Sacer. Was giebt dir der Glaube?

Patri. ℟. Das ewige Leben.

Sacer. Willst du in das Leben eingehen, so halte die Gebote. Du sollst Gott lieben aus deinem ganzen Herzen, aus deiner ganzen Seele, aus deinem ganzen Gemüthe, und deinen Nächsten wie dich selbst.

Gallicè.

Sacer. Que demandez-vous de l'eglise?

Patri. ℟. La foi.

Sacer. Que vous donne la foi?

Patri. ℟. La vie éternelle.

Sacer. Si vous voulez entrer dans la vie éternelle, gardez les commande-

mens: Vous aimerez le Seigneur votre Dieu de tout votre coeur, de toute votre âme, et de tout votre esprit, et votre prochain comme vous-même.

Deinde ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel:

Exi ab eo *vel ab ea*, immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto Paraclito.

Postea pollice faciat signum Crucis in fronte et in pectore infantis, dicens:

Accipe signum Crucis tam in fronte †, quam in corde †, sume fidem coelestium praeceptorum, et talis esto moribûs, ut templum Dei jam esse possis.

OREMUS.

Preces nostras quaesumus Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum, *vel electam tuam*, crucis Dominicae impressione signatum, *vel signatam*, perpetua virtute custodi; ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad rege-

nerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Sacerdos imponat manum super caput baptisati ac dicit:

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere digneris super hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam* N. quem, *vel quam*, dudum ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem caecitatem cordis ab eo, *vel ab ea*, expelle: disrumpe omnes laqueos satanae, quibus fuerat colligatus, *vel colligata:* aperi ei Domine januam pietatis tuae, ut signo sapientiae tuae imbutus, *vel imbuta*, omnium cupiditatum foetoribus careat, et ad suavem odorem praeceptorum tuorum laetus, *vel laeta*, tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus, *vel idonea*, sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit, salis perceptâ medicinâ. Per eundem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde posteaquam modicum salis immisit in os baptisati, dicens:

Accipe salem sapientiae, propitiatio sit tibi in vitam aeternam. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus patrum nostrorum, Deus universae conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam* N. respicere digneris propitius, et hoc pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quominus cibô expleatur coelestî, quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens, et quem, *vel quam*, ad novae regenerationis lavacrum perduxisti, quaesumus, Domine, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum aeterna praemia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post haec, facto signo Crucis in fronte baptisati dictisque illis verbis:

Et hoc signum crucis †, quod nos fronti ejus damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Manu super caput ejus imposita, dicit:

OREMUS.

Aeternam ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, auctor luminis et veritatis, super hunc famulum tuum, *vel hanc famulam tuam* N, ut digneris eum, *vel eam*, illuminare lumine intelligentiae tuae: munda eum *vel eam* et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus, *vel digna*, sit frui gratia baptismi tui, quem suscepit: teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut aptus *vel apta*, sit ad retinendam gratiam baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolae super baptisatum et introducit eum in Ecclesiam, dicens:

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam aeternam. ℟. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem, cum susceptoribus conjunctim clara voce, dicit:

Credo in Deum *(integrum)* et Pater noster etc. *Vide haec polonice pag.* 78.

Deinde, antequam accedat ad Baptisterium, dicat:

EXORCISMUS.

Exorciso te omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis †, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, Domini et judicis nostri †, et in virtute Spiritus Sancti †, ut discedas ab hoc plasmate Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eundem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aures et nares baptisati, tangendo vero aurem dextram et sinistram, dicat:

Ephpheta, quod est, adaperire.

Deinde tangit nares, dicens:

In odorem svavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Postea interrogat Baptisatum nominatim, dicens:

Polonicè.

Sacer. N. Odrzekasz się ducha złego?
Patri. ℟. Odrzekam.
Sacer. I wszystkich spraw jego?
Patri. ℟. Odrzekam.
Sacer. I wszelkiej pychy jego?
Patri. ℟. Odrzekam.

Germanicè.

Sac. N. Widersagst du dem Teufel?
Cat. Ja, ich widersage.
Sac. Und allen seinen Werken?
Cat. Ja, ich widersage.
Sac. Und aller seiner Hoffahrt?
Cat. Ja, ich widersage.

Gallicè.

Sac. N. Renoncez-vous à Satan?
Pat. J'y renonce. *v.* Oui.
Sac. Renoncez - vous à toutes ses oeuvres?
Pat. J'y renonce. *v.* Oui.
Sac. Renoncez - vous à toutes ses pompes?
Pat. J'y renonce. *v.* Oui.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum, et baptisatum ungit in pectore, et inter scapulas in modum Crucis, dicens:

Ego te linio ✝ oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris.

Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili: et interrogat expresso nomine baptisatum, Patrino respondente.

Polonicè.

Sac. Wierzysz w Boga Ojca wszechmogącego, stworzyciela nieba i ziemi?

Pat. ℟. Wierzę.

Sac. Wierzysz w Jezusa Chrystusa, Syna Jego jedynego, Pana naszego, narodzonego i umęczonego?

Pat. ℟. Wierzę.

Sac. Wierzysz w Ducha świętego, święty Kościół powszechny, świętych obcowanie, grzéchów odpuszczenie, ciała zmartwychwstanie, i żywot wieczny?

Pat. ℟. Wierzę.

Interrogationem: N. Chcesz być ochrzczony? *omittit.*

Germanicè.

Sac. Glaubst du in Gott den Vater, den allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erde?

Pat. Ja, ich glaube.

Sac. Glaubst du auch in Jesum Christum, seinen einigen Sohn, unsern Herrn, der geboren ist, und gelitten hat?

Pat. Ja, ich glaube.

Sac. Glaubst du auch an den heiligen Geist, eine, heilige, allgemeine Kirche, Gemeinschaft der Heiligen, Ablaß der Sünden, Auferstehung des Fleisches, und ein ewiges Leben?

Pat. Ja, ich glaube.

Gallicè.

Sac. Croyez-vous en Dieu le Père tout-puissant, Créateur du ciel et de la terre?

Pat. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. Croyez-vous en Jésus Christ son Fils unique notre Seigneur, qui est né et qui a souffert?

Pat. J'y crois. *v.* Oui.

Sac. Croyez-vous au Saint-Esprit, la sainte eglise catholique, la communion des Saints, la rémission des péchés, la resurrection de la chair, et la vie éternelle?

Pat. J'y crois. *v.* Oui.

Forma baptismi et ablutio omittitur.

Sed Sacerdos intingit pollicem in Sacro Chrismate et inungit baptisatum in sumitate capitis in modum Crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; *(hic inungit)* ipse te liniat Chrismate salutis † in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam. ℟. Amen.

Sac. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Tum bombacio, aut re simili abstergit pollicem suum, et locum inunctum, et imponit capiti ejus linteolum candidum loco vestis albae, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam aeternam. ℟. Amen.

Postea dat ei, vel Patrino candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula coelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postremo dicit:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum. ℟. Amen.

Caeterum suppletis praesentibus caeremoniis super baptisatum, qualia monita parentibus danda, ac qui in libro baptismali sunt describendi, videantur ea, quae supra notantur pag. 38.

In Baptismo autem adultorum, praeter illa, quae supra notata sunt, quando supplentur omissa, haec mutari debent: primum in Exorcismo: Audi maledicte satana, *ubi dicitur* (habitaculum perficiat) *dicatur,* habitaculum perfecit. *Deinde in Exorcismo:* Nec te latet, *ubi dicitur,* ut fiat, *dicatur:* ut fieret.

RITUS SERVANDUS
CUM EPISCOPUS BAPTISAT.

Si Episcopus, vel S. R. E. Cardinalis, parvulos vel adultos baptisare voluerit: parantur et servantur omnia, ut superius de ordine baptismi dictum est, atque haec praeterea, quae infra notantur.

Adsint Capellani, vel alii Presbyteri et Clerici superpelliceis induti, qui ei assistant ac ministrent.

Ipse vero super rochetum, sive superpelliceum, si est regularis, accipiat albam et cingulum, et stolam, et pluviale violacei coloris, ac mitram: atque ita paratus cum ministris procedat ad baptismi ministerium. Et dum interrogat: N. Quid petis ab Ecclesia Dei? *ac dum facit reliquas interrogationes, sedet cum mitra; cum vero exsufflat dicendo:* Exi ab eo immunde spiritus, *surgit cum mitra. Rursus sedet cum signat Catechumenum signo Crucis in fronte et in pectore, vel dicit:* Accipe signum Crucis etc. *Et cum dicit: Orationes, quae praecedunt, vel sequuntur benedictionem salis, surgit depositâ mitrâ, similiter cum ipsum sal benedicit. Cum autem sal benedictum immittit in os baptisandi, mitram accipit, et sedet. Cum vero legit Exorcismos, et dum saliva aures,*

et nares Catechumeni tangens, dicit: Ephpheta, *ac dum introducit eum in Ecclesiam, stat cum mitra: cum autem dicit:* Credo in Deum Patrem etc. et Pater noster, *super Catechumenum, stat sine mitra. Sed cum nomen quaerit et interrogat:* N. Abrenuntias satanae etc. *et baptisandum Oleo sacro in pectore et inter scapulas inungit, sedet cum mitra: quo facto accipit stolam et pluviale album. Et cum rursus interrogat de fide:* Credis in Deum etc. Vis baptisari etc. *et cum baptisat per infusionem, sedet cum mitra. Si vero baptisat per immersionem, mitram retinens, stare debet. Cum demum Chrismate verticem baptisati linit, et dat ei vestem candidam, et candelam accensam, ac dicit:* Vade in pace etc. *sedet cum mitra.*

Si autem pontifex, quempiam à Presbytero jam Catechisatum, tantum baptisare voluerit, sic paratus vestibus albis incipiat, postquam ad baptisterium deventum fuerit, dicens: Quo nomine vocaris? *Respondet: N. Episcopus interrogat:* N. Credis in Deum Patrem omnipotentem etc. *et prosequitur usque in finem, juxta Ordinem Baptismi,* ut supra.

BENEDICTIO
Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur.

Primum lavatur et mundatur vas Baptisterii, deinde limpidâ aquâ repletur. Tum Sacerdos cum suis Clericis vel etiam aliis Presbyteris, cruce et duobus cereis praecedentibus ac thuribulo, et incenso, et cum vasculis Chrismatis, et Olei Catechumenorum, descendit ad fontem, et ibi, vel ante altare Baptisterii, dicit Litaniam ordinariam, prout habetur infra in die Cinerum.

Et ante versum: Ut nos exaudire digneris, *dicat et secundo repetat sequentem versum:* Ut fontem istum ad regenerandam tibi novam prolem, benedicere †, et consecrare †, digneris. ℟. Te Rogamus audi nos.

Potest etiam dici litania brevior, ut in Missali Sabbato Sancto; *et dicto ultimo* Kyrie elejson. *Sacerdos dicat:* Pater noster, *et* Credo in unum Deum etc. *omnia clara voce: quibus finitis dicat:*

℣. Apud Te Domine est fons vitae,
℟. Et in lumine tuo videbimus lumen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnae pietatis tuae mysteriis, adesto Sacramentis, et ad recreandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte; ut quod nostrae humilitatis gerendum est ministerio, virtutis tuae impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

EXORCISMUS AQUAE.

Exorciso te creatura aquae, per Deum vivum †, per Deum verum †, per Deum sanctum †, per Deum qui te in principio verbo separavit ab arida, cujus super te spiritus ferebatur, qui te de paradiso manare jussit.

Hic manu aquam dividat, et deinde de ea effundat extra marginem fontis versus quatuor Orbis partes, prosequens:

Et in quatuor fluminibus totam terram rigare praecepit: qui te in deserto

amaram, per lignum dulcem fecit atque potabilem: qui te de petra produxit, ut populum, quem ex Aegypto liberaverat, siti fatigatum recrearet. Exorciso te et per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galileae signo admirabili sua potentia convertit in vinum: qui super te pedibus ambulavit, et à Joanne in Jordane in te baptisatus est: qui te unà cum sanguine de latere suo produxit, et discipulis suis jussit, ut credentes baptisarent in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti; ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, aqua quae lavat sordes, et mundat peccata. Tibi igitur praecipio omnis spiritus immunde, omne phantasma, omne mendacium, eradicare et effugare ab hac creatura aquae, ut qui in ipsa baptisandi erunt, fiat eis fons aquae salientis in vitam aeternam, regenerans eos Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, aquarum spiritualium sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilitatis nostrae respicere digneris, et super has aquas abluendis et purificandis hominibus praeparatas, Angelum sanctitatis emittas, quo peccatis vitae prioris ablutis, reatuque deterso, purum Sancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritûs Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tunc sufflet ter in aquam versus tres partes, secundum hanc figuram †, *deinde imponit incensum in thuribulo, et fontem incensat. Postea infundens de Oleo Catechumenorum in aquam, in modum Crucis, clara voce dicit:*

Sanctificetur, et foecundetur fons iste Oleo salutis renascentibus ex eo in vitam aeternam. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † Sancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chrismate modo quo supra, dicens:

Infusio Chrismatis Domini nostri Jesu Christi, et Spiritûs Sancti Paracliti, fiat in nomine Sanctae Trinitatis. ℟. Amen.

Postea accipit ambas ampullas dicti Olei sancti et Chrismatis, et de utroque simul in modum Crucis infundendo, dicit:

Commixtio Chrismatis sanctificationis, et Olei unctionis, et aquae baptismatis pariter fiat in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † Sancti. ℟. Amen.

Tum deposita ampulla, dextera manu Oleum sanctum et Chrisma infusum miscet cum aqua, et spargit per totum fontem. Deinde medullâ panis manum tergit, et si quis baptisandus est, eum baptisat, ut supra. Quodsi neminem baptisat, statim manus abluat, et ablutio effundatur in Sacrarium.



DE SACRAMENTO
POENITENTIAE.

Sanctum Poenitentiae Sacramentum, ad eos qui post Baptismum lapsi sunt, in gratiam Dei restituendos à Christo Domino institutum; e diligentius administrandum est, quo frequentior est ejus usus, et quo plura requiruntur ad illud rectè digneque tractandum ac suscipiendum. Cum autem ad illud constituendum tria concurrant: materia, forma et minister; illius quidem remota materia sunt peccata; proxima

vero sunt actus poenitentis, nempè: contritio, confessio, et satisfactio. Forma autem illa absolutionis verba: Ego te absolvo etc. *Minister denique est Sacerdos, habens potestatem absolvendi, vel ordinariam, vel delegatam. Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscunque censuris et peccatis absolvere. In ejus ministro requiritur etiam bonitas, scientia atque prudentia, cum sigillo secretae confessionis sub exacto perpetuoque silentio. Quibus et aliis ad id opportunis, ut optimè sint instructi, omni studio curare debent Confessarii.*

Inprimis meminerit Confessarius, se judicis, pariter et medici personam sustinere, ac divinae justitiae simul et misericordiae ministrum à Deo constitutum esse, ut tanquam arbiter inter Deum et homines, honori Divino, et animarum saluti consulat.

Ut ergo recte judicare queat, discernens inter lepram et lepram, et tanquam peritus medicus animarum morbos prudenter curare, et apta cuique remedia applicare sciat; quantam potest, maximam ad id scientiam atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum ex probatis authoribus, praesertim è Catechismo Romano, et prudenti consilio peritorum, studeat sibi comparare.

Sciat casus et censuras Sedi Apostolicae, et Ordinario suo reservatas, et suae cujusque Ecclesiae constitutiones, easque diligenter observet.

Deinde hujus Sacramenti doctrinam omnem recte nosse studebit, et alia ad ejus rectam administrationem necessaria. Atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra praescribitur.

ORDO MINISTRANDI
SACRAMENTUM POENITENTIAE.

Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat, ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.

Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat: quae sedes patenti, conspîcuo, et apto Ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem sît instructa.

Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consvetudo.

Poenitens, si opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis, et habitûs accedat et flexis genibus signo Crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) et quam pridem sit confessus; et an impositam poenitentiam adimpleverit; num rite, atque integrè alias confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

Quod si poenitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, à quo ipse non possit absolvere, non absolvat nisi prius obtenta facultate à Superiore.

Si vero Confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit poenitentem ignorare Christianae fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis Fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Tum poenitens confessionem generalem, latina vel vulgari lingua dicat: scilicet: Confiteor etc. *vel saltem utatur his verbis:* Confiteor Deo omnipotenti et tibi Pater. *Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescunque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, confessione, neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere: proinde fiduciam ei praebeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.*

Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias

non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione statûs, conditionis, sexûs, et aetatis, itemque dispositionis poenitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem.

Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias injungat, velut: avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia,

desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut saepe, puta: semel in mense, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat communicent.

Poenitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque à poenitentibus quidquam tanquam ministerii sui praemium petant vel accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponat.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt: qui nulla dant signa doloris: qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, et scandalum tollant; neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio): sed prius si potest, cui debet, satisfaciat: ac si periculum evaserit, et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur; cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.

Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiant, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porro Sacerdos, aegris non esse injungendam gravem aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

Forma absolutionis.

Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit:

Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Deinde dexterâ versus poenitentem elevatâ, dicit:

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat; et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. *Deinde:* Ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Si poenitens sit laicus, omittitur verbum, suspensionis.

Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.

In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus ommitti potest, Misereatur etc. *et satis erit dicere:* Dominus noster Jesus Christus etc. *ut supra, usqúe ad illud:* Passio Domini nostri etc.

Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit:

Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

De absolutione ab excommunicatione in foro exteriori.

Si potestas absolvendi ob excommunicationis sententia Sacerdoti commissa fuerit à Superiore, et in mandato certa forma sit praescripta, illa omnino servanda est: si vero in mandato seu commissione dicitur: In forma Ecclesiae consveta absolvat, *haec servanda sunt:*

Primo, ut excommunicatus ei, ob cujus offensam in excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem praebeat, aut saltem, si eam praestare non potest, jurel se, cum primum poterit, satisfacturum.

Secundo, si crimen ob quod in excommunicationem incidit, sit grave, juramentum ab eo exigatur de parendo mandatis Ecclesiae, quae illi fient pro tali causa: ac praecipue, ne deinceps delinquat contra illum canonem, vel decretum, contra quod faciendo, censuram incurrit.

Denique hunc absolvendi ritum observabit:

Poenitentem coram se utroque genu flexo, in humero, si vir fuerit, usque ad camisiam exclusive denudato, virgâ aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo totum Psal: Miserere mei Deus etc. *cum* Gloria Patri etc.

Deinde surgit, et aperto capite dicit:

Kyrie elejson. Christe elejson. Kyrie elejson. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum, *vel ancillam tuam*, Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo, *vel* in ea.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox sedet, et cooperto capite, dicit:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego authoritate ipsius, et Sanctissimi Domini nostri Papae N. *vel* Reverendissimi Episcopi N. *(vel talis Superioris)* mihi commissa, absolvo te a vinculo excommunicationis in quam incurristi, *(vel incurrisse declaratus es)* propter tale factum, *vel* causam, etc. et restituo te communioni, et unitati fidelium et Sanctis Sacramentis Ecclesiae, in nomine Patris ✝, et Filii, et Spiritus Sancti.

Quod si Sacerdoti nulla sit a Superiore praescripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiae communi, vel consveta absolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate praedictam caeremoniam, et precès adhibeat; at vero si res non fuerit adeo gravis, absolvere poterit, dicens:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego authoritate ipsius, et Sanctissimi Domini nostri Papae *(si à Papa fuerit delegatus)*, *vel* Reverendissimi Episcopi N. *vel talis Superioris*, mihi concessa, absolvo te, etc. *ut supra.*

In foro autem interiori, Confessarius, habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra praescriptam in absolutione Sacramentali.

Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum.

Si quis excommunicatus ex hac vita decedens, dederit signum contritionis: ne Ecclesiasticâ careat sepulturâ, sed Ecclesiae suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo.

Si corpus nondum sepultum fuerit, verberetur et absolvatur, ut infra; *deinde absolutum in loco sacro sepeliatur.*

Si vero fuerit sepultum in loco profano, si commode fieri poterit, exhumabitur, et eodem modo verberabitur, et post absolutionem, in loco sacro sepelietur; sed si commode exhumari non potest, locus sepulturae verberetur, postea absolvatur.

Quod si in loco sacro sit sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum. Dum autem corpus, sive sepulturam verberat Sacerdos, dicat Antiph: Exultabunt Domino ossa humiliata. *Psal:* Miserere mei etc.

Quo facto absolvatur, dicendo:

Auctoritate mihi concessa, ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam

incurristi (*vel* incurrisse declaratus es) propter tale factum, et restituo te communioni fidelium, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

Deinde dicatur Psal: De profundis,— *in fine:*

℣. Requiem aeternam dona ei Domine,
℟. Et lux perpetua luceat ei.
Kyrie elejson. Christe elejson. Kyrie elejson. Pater noster etc.
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi,
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace, ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Da, quaesumus Domine animae famuli tui, quem excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

De modo absolvendi à suspensione, vel ab interdicto, extra vel intra Sacramentalem Confessionem.

Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem a suspensione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint praecipue determinata, uti poterit hac formula: Poenitens dicat: Confiteor Deo etc.

Sacerdos: Misereatur tui etc. Indulgentiam etc.

Auctoritate mihi ab N. tradita, ego absolvo te à vinculo suspensionis *(vel* interdicti), quam *(vel* quod) propter tale factum *(vel* causam) incurristi *(seu* incurrisse declaratus es); In nomine Patris †, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen.

Si vero Confessario, sive in foro conscientiae, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate; tunc postquam absolverit à peccatis, addat consequenter:

Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate *(vel* irregularitatibus, *si sunt plures)* in quam *(vel* in quas) ob talem causam *(vel* tales causas, *eas exprimendo)* incurristi, et habilem

reddo, et restituo te executioni Ordinum et officiorum tuorum: In nomine Patris †, et Filii, et Spiritùs Sancti. Amen.

Si nullum habet Ordinem, dicatur: Habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos, *vel etiam ad alia, juxta tenorem mandati.*

Quod si necesse sit titulum beneficii restituere, et fructus male perceptos condonare subjungat:

Et restituo tibi titulum (*seu* titulos) beneficii (*seu* beneficiorum) et condono tibi fructus male perceptos; In nomine Patris †, et Filii, et Spiritùs Sancti. Amen.

Advertat autem Sacerdos, ne ullo modo in iis facultatis suae terminos excedat.



DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Omnibus quidem Ecclesiae Catholicae Sacramentis religiose sancteque tractandis magna ac diligens cura adhibenda est; sed praecipue in administrando ac suscipiendo Sanctissimae Eucharistiae Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei: cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons auctorque Christus Dominus.

Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, quâ decet reverentiâ, debitoque cultu tractet, custodiat et administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat, praesertim in majoribus anni solemnitatibus.

Ideo populum saepius admonebit, qua praeparatione, et quanta animi religione ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debet accedere: ut praemissa Sacramentali confessione, omnes saltem à media nocte jejuni, et utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viri quantum fierî potest a mulieribus separati.

Moneantur praeterea communicantes, ut sumpto Sacramento non statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, ne statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim Orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant: sed qua par est devotione, alîquantisper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio, atque etiam de sanctissima Passione Dominica, in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur.

Curare porro debet, ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero, qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo

operculo bene clausa, albo velo cooperta, et quantum res feret, ornato in tabernaculo clave obserato.

Hoc autem tabernaculum conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in Altari majori, vel in alio, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut Ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat; curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint et conserventur.

Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit. Hostiae vero, seu particulae consecrandae, sint recentes, et ubi eas consecravit, veteres primo distribuat vel sumat.

Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publice indigni, quales sunt: excommunicati, interdicti, manifestique infames; ut: meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores; nisi de eorum poenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.

Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.

Amentibus praeterea, seu phreneticis com-

municare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla, et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit.

Iis etiam, qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet.

ORDO MINISTRANDI

SACRAM COMMUNIONEM.

Sacerdos igitur Sanctissimam Eucharistiam ministraturus, hostiis, seu particulis pro populi multitudine consecratis, vasculoque uno, vel pluribus, decenti et commodo loco expositis cum vino et aqua ad purificationem eorum, qui Communionem sumpserint, et ante eos linteo mundo extenso, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris Officio illius diei convenientis, praecedente Clerico seu alio ministro, procedit ad Altare manibus junctis, et accensis cereis, facta prius et postea genuflexione, extrahit pyxidem, et illam super corporale depositam discooperit. Minister genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolae facit Confessionem generalem, dicens: Confiteor Deo etc.

Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis ante pectus vertit se ad populum (advertens ne terga vertat Sacramento) et in cornu Evangelii dicit:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

Et addit: **Indulgentiam, absolutionem ✝, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.**

Dicens, Indulgentiam etc. *manu dextera in formam Crucis signat communicandos.*

Deinde ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit, et duobus digitis, pollice et indice Sacramentum accipit, et elevat; conversusque ad populum in medio Altaris dicit clara voce:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. ***Mox subdit:*** **Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.**

Polonicè.

Oto Baranek Boży, oto który gładzi grzechy świata.

Panie nie jestem godzien, abyś wszedł do przybytku mego, ale tylko rzeknij słowem, a będzie zbawiona dusza moja.

Quod iterum ac tertio repetit; qua formula etiam utendum est, cum feminae Communio ministratur.

Postea ad communicandum accedit; incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolae; sed primo, si Sacerdotibus, vel aliis ex clero danda sit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis praebeatur; vel si commode fieri potest, intra sepimentum Altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent.

Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum Crucis super pyxidem simul dicit:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. ℟. Amen.

Polonicè.

Ciało Pana naszego Jezusa Chrystusa niechaj strzeże duszy twojej do żywota wiecznego. Amen.

Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare dicere poterit:

O! sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

℣. Panem de coelo praestitisti eis,

℟. Omne delectamentum in se habentem. *Tempore paschali additur*, Alleluja.

Mox Sacerdos dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Tempore paschali dicitur Oratio.

Spiritum nobis Domine, tuae charitatis infunde, ut quos Sacramentis pa-

schalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Antequam reponat Sacramentum diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhaeserit, illud in pyxidem deponat; et eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat et abstergat purificatorio; ablutionem vero sumat, si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, sumendum tradat, aut saltem in sacrarium inijciat. Postea genuflectens reponit Sacramentum in tabernaculo et clave obserat.

Deinde extenta manu dextera, benedicit iis qui communicarunt, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritùs Sancti, descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Communio autem populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causà post Missam sit facienda), cum orationes, quae in Missà post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.

Itaque Sacerdos, sumpto Sacratissimo Sanguine, antequam se purificet, ponat particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positae fuerint in pyxide, et genuflectit, ministro

interim faciente confessionem, ut supra. Postea vertens se ad populum in cornu Evangelii, dicit: Misereatur vestri etc. *et eo quo supra dictum est modo porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens a ministris Altaris, si velint communicare. Finita communione, revertitur ad Altare, nihil dicens, et non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae. Deinde dicit secreto:* Quod ore sumpsimus etc. *ut in Missali, se purificat, et Missam absolvit. Quod si contingat absoluta Missa, statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc Planeta indutus, sacram Communionem eo modo, quo supra dictum est, ministrabit.*

De Communione Paschali.

Curet autem Parochus, ut in Quadragesima per se, vel per alios Concionatores populo opportune denuntietur Constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III, quae sic habet:

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem

causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.

Ut igitur hoc salutare Concilii decretum inviolabiliter servetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum; et qui dicto tempore non communicaverint, et post Octavam Paschae eos, qui propriae salutis immemores saepius admoniti non obtemperaverint, Ordinario suo denuntiet.

Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri potest, ut ipso die sanctissimo Paschae communicent; quo die ipse per se, nisi legitime impediatur, Parochiae suae fidelibus hoc Sacramentum ministrabit. Alienae vero Parochiae fideles ad proprium Parochum remittet, praeter peregrinos et advenas, et qui certum domicilium non habent, quibus ipse sacram praebebit Communionem, si ad illam accesserint rite parati; vel ubi est ea consvetudo, eos ad Cathedralis Ecclesiae Parochum remittet. In caeteris vero servabit ea, quae in libro de statu animarum, ut infra, praescribuntur.

Aegrotis quoque parochialibus, etiamsi Communionem extra praescriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferet

De Communione Infirmorum.

Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia aegrotantibus opportuno tempore procurandum est, ne forte contingat illos tanto bono, Parochi incuria, privatos decedere. Cavendum autem inprimis est, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur; quales sunt: publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi sese prius sacra Confessione purgaverint, et publicae offensioni, prout de jure, satisfecerint.

Hortetur Parochus infirmum, ut sacram communionem sumat, etiamsi graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime, si festi alicujus celebritas id svadeat, neque ipse illam ministrare recusabit.

Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare valuerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.

Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis; id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, à quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim, aliumve similem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest. Caeteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum,

non aliter ac caeteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae antè aliquìd sumere licet.

Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei praetextu, ad ostendendum, non deferatur.

Deferi autem debet hoc sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu superposito mundo velamine, manifeste atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente.

Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquod campanae ictibus jubeat convocari Parochianos, seu confraternitatem sanctissimi Sacramenti (ubi fuerit instituta) seu alios pios Christi fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis, seu intorticiis comitentur, et umbelam, seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant. Praemoneat, ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua sanctissimum Sacramentum decenter deponatur.

Parentur luminaria, ac duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua; praeterea linteum mundum ante pectus communicandi ponatur, atque alia ad ornatum loci, pro cujusque facultate.

Ubi vero convenerint, qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo et stola, et si haberi potest, pluviali albi coloris, Acolythis, seu Clericis, aut etiam Pre-

sbyteris, (si locus feret) superpelliceo pariter indutis, comitatus, decenter, et de more acceptas aliquod particulas consecratas, vel unam tantum (si longius aut difficilius iter sit faciendum) ponat in pyxide, seu parva custodia, quam proprio suo operculo cooperit, et velum sericum superimponit; ipse vero Sacerdos imposito sibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sacramento, et deinde umbellam, seu baldachinum subeat, nudo capite processurus.

Praecedat semper Acolythus, vel alius minister deferens laternam (noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat) sequantur duo Clerici, vel qui illorum vices suppleant; quorum alter aquam benedictam cum aspersorio, et bursam cum corporali, quod supponendum erit vasculo sanctissimi Sacramenti super mensa in cubiculo infirmi, et cum linteo purificatorio ad digitos Sacerdotis abstergendos; alter hunc librum Ritualem deferat, et campanulam jugiter pulset. Succedant deinde deferentes intorticia. Postremo Sacerdos Sacramentum, gestans elevatum ante pectus sub umbella, dicens Psalmum: Miserere, *et alios Psalmos, et Cantica. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare, atque obstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.*

Ingrediens vero locum ubi jacet infirmus, dicat:

Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum, et cubiculum, dicens Antiphonam:

Asperges me Domine hysopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor: *Et primum versum Psalmi:* Miserere mei Deus, *cum* Gloria Patri. Sicut erat in principio etc.

Deinde repetitur Antiphona.

Asperges me Domine etc.
Postea ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri, et illum audiat atque absolvat: quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat.

Ubi commode fieri poterit, antequam Sacerdos communicet infirmum, admoneat eum de hujus Sacramenti efficacia, vg. hoc modo:

Jezus Chrystus w najświętszym Sakramencie obecny daje się zdrowym, aby ich w łasce swej umocnił i od upadku w grzechy zachował; daje się także i chorym, aby jeśli Bogu się podoba powołać ich do wieczności, służył im w tej podróży za przewodnika do królestwa niebieskiego i bronił ich od napaści nieprzyjaciół dusznych. Przyjmijże tedy

tego mocarza, który wiatrom i nawałnościom rozkazywał, czartów zwyciężył, Lota z siarczystego ognia Sodomskiego, a Ojców Świętych z otchłani wybawił. W imię tego Pana tak potrafisz ujść zasadzek wojska piekielnego, jako niegdyś Mojżesz z swym ludem uszedł napaści wojsk Faraona, w imię tego Pana tak ujdziesz potwarzy, któreby ci zadawali szatani, jako niegdyś Zuzanna uszła zniewag złych ludzi. Choćbyś był w ręku Saula, albo Goliata, to cię ten Pan tak jako niegdyś Dawida, z mocy ich wybawi, byleś tylko w nim całą ufność pokładał, weń całém sercem wierzył, i onego ze wszystkich sił kochał. Eliasz Prorok uciekając niegdyś od prześladowania bezbożnej Izabelli, cały dzień po puszczy chodził i już umrzeć chciał, a gdy znużony zasnął, oto Anioł Boży obudził go, mówiąc: *Wstań, jedz.* Eliasz obejrzawszy się, spostrzegł podpłomny chléb, i kubek wody; podjadłszy tedy i napiwszy się, znowu zasnął. Ale Anioł Pański powtórnie obudził go, mówiąc: *Wstań, jedz, bo masz daleką jeszcze podróż*, a on znowu jedząc i pijąc, tak

się onym pokarmem posilił, że przez 40 dni i nocy mocą jego chodził, aż do boskiej góry Horeb zaszedł, gdzie Boga widział i z nim rozmawiał (1). Jeżeli on pokarm pospolity tak zasilił Eliasza, że podróż tak daleką szczęśliwie odprawił i Boga oglądał, to ty tym boskim pokarmem zasilony zajdziesz aż do niebieskiego Jeruzalem, gdzie Chrystusa nie już przez wiarę, ale twarz w twarz oglądać i z Nim na wieki zostawać będziesz. Bo on tego chce aby tam Jego sługa był, gdzie On sam jest (2). Ten Syn Boży tu utajony w najświętszym Sakramencie zachowa cię od prześladowania szatana, i poszle przed tobą Anioła, aby cię na zgotowane dla ciebie miejsce zaprowadził (3). Choćbyś był zmordowany, to cię posili, i poprzedzać cię będzie w tej drodze, jak lud Izraelski do ziemi obiecanej, aż cię zaprowadzi do niebieskiej chwały. Co żebyś otrzymał, mów bardziej sercem aniżeli usty: Panie Jezu Chryste Boże i t. d. *ut infra pag.* 148.

(1) 3 Reg. XIX, 2. (2) Joan. XII, 26. (3) Exod. XXIII.

Postea facta de more Confessione generali, sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit: Misereatur etc. Indulgentiam etc.

Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo, dicens:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. ***Et more solito ter dicat:*** **Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.**

Vide eadem polonice pag. 130.

Et infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce; tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:

Accipe frater *(vel soror)* Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam aeternam. Amen.

Polonicè.

Bierz bracie, *albo siostro*, na podróż Ciało Pana naszego Jezusa Chrystusa, który niechaj cię strzeże od nieprzyjaciela złośliwego i zaprowadzi do żywota wiecznego. Amen.

Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen.

Vide eadem polonicè pag. 131.

Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto: Misereatur etc. *praedictis precibus omnibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur.*

Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens: et infirmo detur ablutio, deinde dicat:

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, Te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro, *(vel sorori nostrae)*, sacrosanctum Corpus Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori, quam animae prosit ad remedium sempiternum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Si tempus ferat, poterit Sacerdos infirmum post communionem his vel similibus verbis consolari:

Gdy się Chrystus od wieków obiecany narodził, sprawiedliwy Symeon ujrzawszy go, wziął na ręce swoje i z radości chcąc umrzeć, rzekł: *Teraz Panie wypuść sługę twego w pokoju, według słowa twego, gdyż oczy moje oglądały zbawienie twoje* (1). Tak ty usprawiedliwiony będąc przez pokutę i posilony najświętszym Sakramentem, mówić podobnie możesz. Bo luboś oczyma Zbawiciela twojego nie widział, jednak sercem i usty pożywałeś go. Przyjąwszy więc już tak potężnego przewodnika na drogę wieczności, na którego skinienie ziemia umarłych, a otchłań jeńców wydały, niemasz przyczyny lękać się napaści szatańskich, bo ten Pan jedném słowem wojska czartów rozpraszał (2), a temi dwiema słowy: *Jam jest:* całą rzeszę żydowską na ziemię obalił (3). Jesteś tedy pod obroną Najwyższego

(1) Luc. II. 29, 30. (2) Math. V, 9. (3) Joan. XVIII, 6.

i możesz z Psalmistą mówić: (1) *Choćby całe wojsko nieprzyjaciół przeciwko mnie stanęło, nie będzie się bało serce moje. Choćby powstała przeciwko mnie bitwa, w tym ja nadzieję pokładać będę.* Niech śmierci boją się ci, co w Chrystusa nie wierzą, lub nie mają odpuszczenia grzechów przez Sakrament pokuty; aleś ty pokutę czynił, spowiadałeś się i prosiłeś, aby przyszło królestwo Boże, a śmierć do niego jest wstępem; wojowałeś z nieprzyjaciołmi zbawienia twego, wiaręś zachował, bieguś dokonał; więc ci zachowana jest korona sprawiedliwości, którąć odda Pan sędzia sprawiedliwości w on dzień. Nie umrzesz na wieki, ale żyć będziesz. Oto masz słowa Chrystusa: (2). *Wszelki który żyje i wierzy we mnie, nie umrze na wieki.* I znów: *Kto wierzy we mnie, choćby umarł, żyć będzie.* Gotuj się tedy do ojczyzny wiecznej, w której ani smutku ani boleści niemasz, gdzie wszystkich mieszkanie jest jako na weselu. Smierć bezbożnych jest zła, lecz sprawiedliwych nader

(1) Ps. XXVI, 3. (2) Joan. XV, 26.

droga przed obliczem Pańskiém; bo tam będą na wieki, gdzie Pan Jezus dáje się widzieć twarz w twarz. Któremu podziękuj, iż teraz raczył przyjść do serca twego, mówiąc: Wierzę o! Boże mój i t d. *ut infra pag.* 150.

His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, praeterquam in casu jam dicto) genuflectit, surgit, et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalmum: Laudate Dominum de coelis, *et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.*

Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, adorat, deinde dicit:

℣. Panem de coelo praestitisti eis,
℟. Omne delectamentum in se habentem.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliqui-

sti; tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui Sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc. Amen.

Deinde annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas, Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

Postea cum Sacramento in pyxide velo coperto faciet signum Crucis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

Quodsi ob difficultatem aut longitudinis itineris, vel quia ea, qua decet, veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commodè reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos praedictis precibus recitatis, cum manu benedicit, et una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, umbella demissa, latente pyxide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur.

Akty przed Kommunią.

Panie Jezu Chryste Boże i Zbawicielu mój! wierzę mocno, iż w przenajświętszym Sakramencie, który przyjmować

mam, jest prawdziwe Ciało, Krew, Dusza i Bóstwo twoje, pod przymiotami chleba, a to wierzę, jako i insze artykuły wiary świętej, żeś to sam objawił i do wierzenia podał.

Kłaniam się tobie, jako najwyższemu Panu mojemu; i jako stwórcę mojego, całém sercem wyznawam i czczę. Dziękuję Ci o Boże mój! za wszystkie dobrodziejstwa twoje; a osobliwie, za postanowienie tego najświętszego Sakramentu. Za co niech Cię wszyscy Aniołowie, wszyscy Swięci i stworzenia twoje chwalą i błogosławią na wieki.

Mam nadzieję w dobroci i miłosierdziu twojém, że dawszy mi siebie samego, dasz mi téż odpuszczenie wszystkich grzechów moich, łaskę twoją i wiekuistą chwałę, o którą Cię przez zasługi twoje, mękę, krew i śmierć twoją, jako najpokorniej upraszam.

Miłuję Cię o Boże mój! z całego serca i z całej duszy mojej. Żałuję, żem Cię Boga mojego, nieskończoną dobroć kiedykolwiek obraził. Brzydzę się wszystkiemi grzechami mojemi. Mam stateczną wolą, już się do nich nie wracać, za

pomocą łaski twojej świętej, o którą Cię pokornie proszę. Wyznawam o Boże mój! niegodność moją na przyjęcie Ciebie Boga mojego; dla tego skruszoném sercem wzdycham do Ciebie Pana i Boga mojego. *Boże bądź miłościw mnie grzesznemu.*

Niech będzie pochwalony przenajświętszy Sakrament, teraz i na wieki wieków. Amen.

Akty po Kommunii.

Wierzę o Boże mój! że ty sam, któryś przez dziewięć miesięcy w żywocie najświętszej Maryi Panny zostawał, któryś dla mnie na krzyżu umarł, który teraz w niebie z Ojcem i Duchem świętym królujesz; jesteś teraz prawdziwie i istotnie w sercu mojém przytomny.

Kłaniam się tobie jako Panu i Bogu mojemu. Ofiaruję Ci na dziękczynienie, za tak wielkie dobrodziejstwo twoje, mnie całego, i cokolwiek dobrego od początku świata stało się, i aż do skończenia dziać się będzie.

Miłuję Cię z całego serca mego, a miłować Cię aż do śmierci i przez całą wieczność pragnę. Oddaję się zupełnie na wolą twoją z ciałem i duszą moją. Niech się ze mną wszystko stanie, podług najświętszej woli twojej. Tu mnie Panie siecz, tu mnie karz, tu mnie pal, tu nie przepuszczaj, byleś od twojej świętej miłości nie oddalał, i przepuścił mi na wieki. Który żyjesz i królujesz z Ojcem i Duchem świętym na wieki. Amen.

Niech będzie pochwalony przenajświętszy Sakrament, teraz, zawsze i na wieki wieków. Amen.

Vor der heil. Communion.

Ich glaube fest, o mein Gott, Herr Jesu Christe, ich glaube es aufrichtig und von meinem ganzen Herzen, daß Du in dem allerheiligsten Sakrament des Altars, welches ich jetzt empfangen soll, wesentlich unter den Gestalten des Brods zugegen seist; und daselbst der Leib, die Seele, die Gottheit, und deine heilige Menschheit wahrhaftig vorhanden sei. Ja, ich glaube es so gewiß, daß ich zur Bestätigung

dieser Wahrheit mein Leben opfern würde, weil Du es selbst gesagt hast, der Du weder betrügen, noch betrogen werden kannst. Ich bete Dich an, als den wahren Gott und Menschen in diesem allerheiligsten Sakrament, und sage Dir unendlichen Dank aus ganzen Kräften meiner Seele, weil Du Dich meinetwegen, und mir zu Liebe, in diesen Stand gesetzt hast, und zu mir kommst. O Du einiger Mittler und Heiland der Menschen! mein Herr und mein Gott! ich hoffe vertraulich von Dir Verzeihung meiner Sünden, die Gnade fromm und heilig zu leben, und nach diesem Ableben die ewige Seligkeit; ich hoffe es, weil Du unendlich gut und barmherzig bist; ich hoffe dieses um desto zuversichtlicher, weil ich jetzt Dich selbst meinen Herrn und Gott, den Geber der Gnade empfangen werde. Ich liebe dich aus ganzem Herzen über Alles, weil du das allerhöchste und liebenswürdigste Gut bist. Aus Liebe gegen Dich bereue ich alle meine Sünden, weil ich Dich, mein Gott, dadurch erzürnet und beleidiget habe. Ich verspreche ernstlich mich zu bessern, und will Alles leiden, und tausendmal sterben, als Dich noch einmal beleidigen. Sei mir nur gnädig, und stärke mich

in diesem Vorsatze. O Jesu! mein Heiland und Erlöser, mein Gott und Alles, ich verlange nach Dir! Ich bin nicht werth, daß Du eingehest in mein sündiges Herz: Doch bin ich bedürftig deiner Gegenwart, und begierig nach deiner Hilfe. Komm, o Jesu! suche mich heim, stärke, und erhalte mich in deiner Gnade.

Nach der heil. Communion.

O Jesu, mein Gott und mein Herr, mein Erlöser und Heiland! Dank und Anbetung sei Dir, daß Du Dich in mein Herz zu kommen gewürdgiget hast. Ich habe nun das Pfand der ewigen Glorie. Ich habe den Gott-Menschen, der mich durch sein theures Blut erlöset hat. Ich habe den, der die Kranken heilet, die Todten erweckt, die Sünden vergiebt, und selig macht. Weder Versuchung, noch Uebel soll mich von ihm trennen, und der Tod selbst soll mich ewig mit meinem Erlöser vereinigen. O himmlischer Gast, verbleibe mit mir, und sei mein Arzt, mein Vater, mein König, mein Herr und Gott. Ich glaube an Dich, als an die einige Wahrheit. Ich hoffe auf Dich, als auf die unendliche Barmherzigkeit.

Ich liebe Dich über Alles, als das allerhöchste Gut. Aus Liebe Deiner liebe ich alle meine Nächsten, auch Freunde, und verzeihe vom Herzen Allen, die mich jemals beleidiget haben. Ich opfere Dir auf meinen Leib und Seele, Alles, was ich habe, zu deinem heiligen Dienste. Deinem göttlichen Willen will ich ganz ergeben sein. Mache o Herr! was Dir angenehm und gefällig ist. Hier brenne, hier schneide, hier verschone nicht, verschone nur in Ewigkeit! Dir lebe ich, dir sterbe ich; Dein bin ich todt und lebendig, o mein allerliebster Jesu! Der du lebst und regierest mit Gott dem Vater, und dem heligen Geiste. Amen.

Gelobt sei ohne Ende das allerheiligste Sakrament in alle Ewigkeit. Amen.

Actes avant la s. communion.

Seigneur Jésus-Christ mon Dieu et mon Sauveur! je crois fermement, que le très saint sacrement, que je vais recevoir, contient vraiment votre corps, votre sang, votre âme et votre Divinité sous les apparences du pain; et je le crois ainsi que les autres articles de la

sainte foi, parceque vous-même l'avez révélé et proposé de croire.

Je vous rends mes hommages, comme à mon souverain Seigneur; et je vous reconnais et vous adore de tout mon coeur comme mon Créateur. Je vous remercie, o mon Dieu, de tous vos bienfaits, et particulièrement de ce que vous avez institué ce très-saint Sacrement. Que tous les Anges, tous les Saints et toutes vos créatures vous en louent et bénissent éternellement.

J'espère de votre bonté et de votre miséricorde infinie, qu'après vous être donné vous-même à moi, vous m'accorderez aussi la rémission de tous mes péchés, votre sainte grace et la gloire éternelle, que je vous demande très-humblement par vos mérites, par votre passion, votre sang et votre mort.

Je vous aime, o mon Dieu! de tout mon coeur et de toute mon âme. J'ai un extrême regret de vous avoir offensé en quelque temps que ce soit, vous qui êtes mon Dieu et la bonté infinie. Je déteste tous mes péchés. J'ai une ferme résolution de n'y plus retomber et de

ne plus vous offenser, moyennant votre sainte grace, que je vous demande humblement. J'avoue que je suis indigne de vous recevoir, o mon Dieu! c'est pourquoi d'un coeur contrit je soupire après vous, mon Seigneur et mon Dieu:

Seigneur, je ne suis pas digne, que vous entriez dans mon coeur, mais dites une seule parole et mon âme sera sauvée.

Actes après la s. communion.

Je crois, o mon Dieu! que vous-même, qui avez été neuf mois dans le sein de la très-sainte Vierge, vous qui êtes mort sur la croix pour moi, vous qui régnez maintenant dans le ciel avec le Père et le Saint-Esprit, je crois, dis-je, que vous êtes en ce moment réellement et substantiellement présent en moi au milieu de mon coeur.

Je vous adore, o mon Seigneur et mon Dieu! Je vous offre en actions de graces pour un si grand bienfait moi tout entier et tout le bien, qui s'est fait depuis le commencement du monde, et qui se fera jusqu'à la fin.

Je vous aime de tout mon coeur et je désire très-ardemment de vous aimer jusqu'à la mort et pendant toute l'éternité. Je me soumets entièrement de corps et d'âme à tout ce qu'il vous plaît. Que tout s'accomplisse en moi selon votre très-sainte volonté! Frappez, punissez-moi, Seigneur, ne m'épargnez point dans cette vie, pourvû que vous ne me priviez pas de votre saint amour, et que vous me pardonniez dans l'éternité. Vous qui vivez et régnez éternellement avec le Père et le Saint-Esprit. Ainsi soit-il.

Małda priesz Kommunija Szwenta.

Pone Jezau Chrystau, Diewe ir Iszganitojau mano! Tikiu drutaj, kat Szwencziauseme Sakramente, kuri turiu priimt; ira tikras Kunas, Kraujes, Dusze ir Diewiste Tawo, po żenkłais duonos; o taj tikiu kajpo ir kitas tiesas Wieros Szwentos; kat taj tu patsaj aprejszkiej ir ing tikieima padawej. Kłoniojousi Tau, kajpo aukszcziausiam Ponuj mano, ir kajpo Sutwertoja mano,

wisa szirdi iszpažinu ir garbinu. Dekawoju Tau o Diewe mano už wisas gieradeistes tawo, o łabiause už pastanawijma to szwenciausio Sakramento; už ka, tegul Tawe wisi Aniołaj, wisi szwenti ir sutwerimaj tawo, garbina ir szłowina ant amžiu. Turiu nodieja ing geradeiste ir miłaszirdiste tawo; kat dawias mansawe pati, duosi man tejpogi atlejdima wisu grieku mano, łoska tawo, ir amžina garbia, kurios tawe per nupełnimus tawo; muka, krauje ir smerti tawo, pakarniause praszau. Miliu Tawe o Diewe mano! isz wisos szirdies ir isz wisos duszios mano. Gajluosi kat Tawe Diewa mano nepabajkta geradeiste kadanoris abrozijau. Apibiaurinu sau wisus griekus mano. Turiu druta wała niekados jau ing anuos ne pagriszt, su padeimu łoskos tawo szwentos, kurios tawes, nužiamintaj praszau. Iszpažinu o Diewe mano! negadnasti mano, aut priemimo Tawe Diewa mano: deł togi su szirdžia sutrinta, atsiszaukiu pas Tawe Pona ir Diewa mano: Pone Diewe susimiłk ant manes grieszniko!

Teguł bus pagarbintas szwenciauses Sakramentas, dabar ir ant amżiu amżinuju. Amen.

Małda po Kommunijej szwentaj.

Tikiu o Diewe mano! Jogiej tu patsaj, kurys per dewinis menesius żiwate szwenciausios Pannos Marios buwaj, kurysaj deł manes ant krìżiaus numirej, kurysaj Danguje su Tewu ir Dwase szwenta karalauij; esi dabar tikraj ir tejsingaj szirdie mano pritamnas. Kłoniojuosi Tau kajpo Ponuj ir Diewuj mano. Afierawoju Tau ant padekawoijmo, uż tejp didżia geradeiste tawo, wisa mane, ir kanoris giaro nuog pradżios swieto stojosi, ir iki pabajgaj gał stotis. Miliu Tawe isz wisos szirdies mano, o milet tawe iki smerczej ir per wisa amżi noriu. Atsiduodu ant wales Tawo, su kunu ir dusze mano. Teguł su manims wiskas stojes, pagał szwencziause wale tawo. Cze mane Pone płak, cze mane korok, cze mane deging, cze ne perlejsk, bet tiktaj nuog tawo szwentos

mejles ne atadalik, ir perlejsk man ant amžiu. Kurysaj giweni ir karalauij, su Tewu ir Dwase szwenta, ant amžiu amžinuju. Amen.

Teguł bus pagarbintas szwencziauses Sakramentas, dabar ir wisados, ir ant amžiu amžinuju. Amen.



DE SACRAMENTO
MATRIMONII.

*P*arochus admonitus de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, primum cognoscat ex his, ad quos spectat, qui, et quales sint, qui matrimonium contrahere volunt. An inter eos sit aliquod canonicum impedimentum. Utrum sponte, libere et secundum honestatem Sacramenti, velint contrahere. Utrum sint in aetate legitima; ut vir saltem quatuordecim, mulier

vero duodecim annos expleverit, et uterque sciat rudimenta Fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant.

Noverit ex probatis Auctoribus, quae sint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, et quae contractum dirimant: et qui sint gradus consanguinitatis et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex Baptismi vel Confirmationis Sacramento contractae.

Habeat inprimis ipse bene cognita praecepta illa omnia, quae in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere, sacri Canones, et praecipue sancta Synodus Tridentina jussit, dabitque operam, ut illa in Parochia sua accuratè exacteque serventur.

Praesertim vero meminerit, Matrimonia inter raptorem et raptam, dum ipsa in raptoris potestate manserit, inita, necnon clandestina et quaelibet Matrimonia, quae aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contrahuntur, ex ipsius Concilii decretis irrita omnino ac nulla esse.

Est autem proprius Parochus, qui adesse debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris.

Caveat praeterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat vagos et peregrinos, et qui incertas habent sedes, neque item eos, qui antea conjugati fuerunt: ut sunt: uxores militum, vel captivorum, vel aliorum qui peregrinantur, nisi diligenter de iis omni-

bus facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata ab eoque habita de ejusmodi Matrimonii celebrandi licentia, quae gratis concedatur.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho continuis diebus festis in Ecclesia intra Missarum solemnia ad ipsius Concilîi praescriptum publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum.

Si vero vir et mulier Parochiae sint diversae, in utraque Parochia fiant denuntiationes: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur. Sed si quid obstat, ultrà Parochus non procedat.

Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, vel alia rationabilis causa subsit, arbitrio Episcopi, Matrimonium malitiosè impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denuntiatio, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus praesentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegant, nisi aliter Ordinarius ipse expedire judicaverit.

Has autem denuntiationes Parochus facere non aggrediatur, nisi prius de utriusque contrahentis libero consensu sibi bene constet.

Si vero infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur.

Denuntiationes autem fiant hoc modo: Inter Missarum solemnia Parochus populum admoneat in hanc sententiam vulgari sermone:

Podaje się do wiadomości, iż wstępują w stan święty małżeński N. młodzian, *vel* wdowiec z parafii N. i N. z panną *vel* wdową, z parafii N. *vel* oboje z tutejszej parafii, zapowiedź pierwsza, *vel* druga, *vel* trzecia. Ktoby wiedział o jakiej zachodzącej przeszkodzie między temi osobami, niechaj da znać do parafii.

Moneat Parochus conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, neque Matrimonium consument, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis praesentibus; quae benedictio a nullo alio, quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, fieri debet.

Caveat etiam Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea

viget consvetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Sed viduae nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.

Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet; sed si domi celebratum fuerit praesente Parocho et testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi, et tunc caveat Sacerdos ne iterum à contrahentibus consensum exigat; sed tantum benedictionem illis conferat celebrata Missa, ut infra dicetur.

Admoneantur praeterea conjuges, ut antequàm contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad Sanctissimam Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant, et quomodo in eo recte et Christianè conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angeli Raphàëlis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere.

Postremo meminerint Parochi, à Dominica prima Adventûs usque ad diem Epiphaniae, et à Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschae inclusive, solemnitates nuptiarum prohibitas esse: ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia; Matrimonium autem omni tempore contrahi potest. Nuptiae vero qua decet modestia et honestate fiant: sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum.

Quae omnia fere ex sacri Concilii Triden-

tini decretis desumpta, et item alia quae ibi de Matrimonio rite contrahendo praecipiuntur, sunt diligenter servanda.

RITUS CELEBRANDI
MATRIMONII SACRAMENTUM.

Parochus igitur Matrimonium celebraturus publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in Ecclesia superpelliceo et stola alba indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram tribus, aut duobus testibus virum et mulierem, quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, moneat prius conjuges de dignitate ac fructu hujus Sacramenti, ac de officiis Conjugum idque breviter, et cum facilitate sermonis, ad aedificationem audientium. Quod fieri possit his vel similibus verbis:

Małżeństwo zawsze było uważane jako stan wielkiej wagi dla społeczeństwa ludzkiego, do którego w każdym razie żądano wielkiego rozmysłu i dobrowolnego zezwolenia.

Zaraz na początku świata Bóg stworzywszy dwoje ludzi, to jest: Adama i Ewę, ustanowił między nimi małżeństwo, chcąc, aby z sobą nierozdzielnie żyli ku wspólnej pomocy i dobremu wychowaniu dziatek. Co wszystko Adam w tych słowach zawarł, wskazując na Ewę przyszłą towarzyszkę życia swego, a mówiąc: *To kość z kości mojej i ciało z ciała mego. Przetoż opuści człowiek ojca swego i matkę, a przyłączy się do żony swojej i będą dwoje w jedném ciele* (1).

To co wyrzekł Adam, Bóg potwierdził, i w prawo dla ówczesnych małżeństw zamienił, które Jezus Chrystus wynosząc małżeństwo do godności Sakramentu odnowił i chciał, ażeby małżonkowie byli jakoby jedno ciało, a dla wspólnej pomocy i pobożnego wychowania dziatek, nieopuszczali się i wiary sobie aż do śmierci dochowywali.

Jako tedy nikt ciałem swojém nie gardzi, ale je karmi i odziewa, tak mąż powinien żonę miłować jako ciało swoje,

(1) Gen. II. 23.

a żona powinna czcić męża jako głowę swoją. Broń Boże! tej wzajemnej miłości i czci niezgodami lub podejrzeniem około obcych osób rozrywać. Małżonkowie powinni się wspomagać w pracach i przykrościach tego życia. Gdyby tedy na jedno z was jakie nieszczęście, uchowaj Boże! padło, drugie z nim dzielić je ma. Gdy wam Pan Bóg dzieci da, powinniście wcześnie śpieszyć z niemi do chrztu świętego, a gdy podrosną, macie wiarę ś. katolicką i bojaźń Bożą w serca ich wpajać, a tak przy łasce Bożej, w dalszych latach będziecie z nich mieli pomoc i pociechę, i ujdziecie tych kłopotów i goryczy, których drudzy z przyczyny swych dzieci źle wychowanych, doświadczają.

Odtąd aż do zgonu życia waszego będziecie sobie winni wiary małżeńskiej dochować. Żadne z was nie będzie miało w mocy swej ciała swojego, jak mówi Apostół (1), ale powinniście je nawzajem dla siebie strzedz niezmazane. Będąc w małżeństwie, a patrzyć obcej

(1) 1 Cor. VII. 4.

osoby, jest występek Bogu obrzydły, *grzech wielki, nieprawość największa* (1).

Pamiętajcie także, iż wstępujecie w stan nieodmienny i nierozdzielny. Bo małżeństwo raz porządnie zawarte, rozwiedzione być nie może. A zatém póki oboje żyć będziecie, żadne z was o nowych związkach z inną osobą myślić nie może. To prawo sam Pan Jezus ustanowił, mówiąc: *Wszelki, który opuszcza żonę swoję, a drugą pojmuje, cudzołoży: A kto od męża opuszczoną pojmuje, cudzołoży* (2). Nakoniec, bierzcie do serca swego tę przestrogę, którą Anioł Tobiaszowi mającemu się żenić dał, mówiąc: *Nad temi ma czart moc, którzy w małżeństwo tak wstępują, że Boga od siebie i od serca swego oddalają, a swej lubości tak dosyć czynią, jako koń i muł, którzy rozumu nie mają* (3). Przystępujcie więc do tego Sakramentu Bożego, nie z chucią pożądliwości, ale z bojaźnią Pańską i intencyą wychowania po chrześcijańsku potomstwa. A Bóg tak wam

(1) Job. XXXI. (2) Luc. XVI. 18.
(3) Tob. VI. 17.

pobłogosławi jak piérwszym rodzicom naszym, iż będziecie w łasce jego i cnotach świętych rośli i mnożyli się. Tego zaś błogosławieństwa Bożego teraz tém pewniej spodziewać się możecie, kiedyście wprzód, jak sądzę, do niego się przez spowiedź świętą usposobili. Przyrzekajcież już sobie usty i sercem przed Bogiem i świadkami wiarę, miłość i uczciwość małżeńską, które ja imieniem kościoła katolickiego chcę stwierdzić, które Chrystus ustanowiciel tego Sakramentu umocni, abyście spokojnie w tym stanie żyć, a potém zbawienie wieczne otrzymać mogli.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.

Statuat deinde Sacerdos sponsum ad dexteram suam, sponsam ad sinistram, ut e regione se aspiciant adinvicem, et quaerat de nomine sponsi et sponsae, hoc modo:

Polonicè.

N. Masz dobrą a nieprzymuszoną wolą i postanowiony umysł: tę N. którą

tu przed sobą widzisz, za małżonkę sobie pojąć? ℟. Mam.

N. Nie ślubowałżeś któréj inszéj wiary małżeńskiéj? ℟. Nie ślubowałem.

Deinde similiter interroget sponsam.

Także i ty N. masz téż dobrą a nieprzymuszoną wolą i postanowiony umysł tego N. którego tu przed sobą widzisz, za małżonka sobie pojąć? ℟. Mam.

N. Nie ślubowałażeś komu inszemu wiary małżeńskiéj? ℟. Nie ślubowałam.

Germanicè.

N. Ist es nun dein freier, ungezwungener, oder ungenöthigter Wille, und deine wohlbedachte Meinung diese hier gegenwärtige N. für dein eheliches Weib anzunehmen? ℟. Ja.

N. Hast du keiner andern deine eheliche Treue zugesagt? ℟. Nein.

N. Ist es auch dein ungedrungener oder ungenöthigter Wille, und deine wohlbedachte Meinung diesen hier gegenwärtigen N. für deinen ehelichen Mann anzunehmen? ℟. Ja.

N. Hast du keinem andern deine eheliche Treue zugesagt? ℟. Nein.

Gallicè.

N. Avez-vous une bonne et libre volonté de prendre pour épouse N. que vous voyez ici présente? ℟. Oui.

N'avez-vous pas donné promesse de mariage à une autre? ℟. Non.

Et vous N. avez-vous aussi une bonne et libre volonté de prendre pour époux N. que vous voyez ici présent? ℟. Oui.

N'avez-vous pas donné promesse de mariage à un autre? ℟. Non.

Litvanicè.

N. Ar turi giara o nepriwersta nora ir tikra postanawiima szytá N. katra priesz tawe stowi, paimtie sau uż moteri? ℟. Turiu.

Ar nesiżadejej katra kita paimtie? ℟. Nesiżadejau.

Tejpogi ir tu N. ar turi giara o nepriwersta nora ir tikra postanawiima szyta N. katras priesz tawe stowi, paimtie sau uż wira? ℟. Turiu.

Ar nesiżadejej katra kita paimtie? ℟. Nesiżadejau.

Utroque illud affirmante, hoc vero negante, dicat Sacerdos:

Augeat in vobis Deus gratiam suam, et quod dicitis ore, opere impleatis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Accipiat annulos sponsorum, vel si desunt, tunc serta seu coronas, et tenendo eas simul, benedicat sic:

Creator et conservator generis humani, dator gratiae spiritualis, conditor aeterne salutis; quaesumus: benedicere ✝ digneris hos annulos *(vel has coronas)*, quos *(vel quas)* nos in nomine tuo sancto benedicimus, ut qui eos *(vel eas)* portaverint, in tua pace consistant, in tua voluntate permaneant, et in tuo amore vivant, crescant, et senescant, atque multiplicentur in longitudinem dierum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc. Amen.

Mox aspergit annulum aqua benedicta in modum Crucis, deinde annulum sponsae imponat in digitum penultimum dextrum sponsi, et e converso. Similiter et coronas commutando, dicit Sacerdos singillatim utrique:

Accipe annulum *(vel coronam)* fidei matrimonialis, in nomine sanctissimae Trinitatis, ut illum *(vel illam)* portans armeris virtute coelestis defensionis, et proficiat tibi ad salutem aeternam.

Postea jubeat illos jungere dextras, quas Minister obvolvat extremitate stolae in formam crucis, et verba sequentia de praesenti, quae matrimonium constituunt, jubeat singulos eorum post se integrè et clarè dicere, incipiendo à sponso.

Polonicè.

Mów za mną. Ja N. biorę sobie ciebie N. za małżonkę, i ślubujęć miłość, wiarę i uczciwość małżeńską, a iż cię nie opuszczę aż do śmierci. Tak mi dopomóż Panie Boże wszechmogący w Trójcy jedyny i wszyscy święci.

Similiter jubeat dicere sponsam.

I ty także mów za mną. Ja N. biorę sobie ciebie N. za małżonka, i ślubujęć miłość, wiarę, uczciwość i posłuszeństwo małżeńskie, a iż cię nie opuszczę aż do śmierci. Tak mi dopomóż Panie Boże wszechmogący w Trójcy jedyny, i wszyscy święci.

Alloquatur adstantes Sacerdos sic vel similiter:

Was, którzyście tu obecni, biorę sobie na świadectwo, jeśliby tego kiedy była potrzeba: abyście świadczyli o niniejszém małżeństwie, między osobami temi prawnie zawartém, i od kościoła potwierdzoném.

Germanicè.

Ich N. nehme dich N mir zu einem ehelichen Weibe: und gelobe dir Liebe, Treue und Ehre, dich auch nicht zu verlassen, bis uns der Tod scheidet: so wahr mir Gott helfe, und alle seine lieben Heiligen.

Ich N. nehme dich N. mir zu einem ehelichen Mann: und gelobe dir Liebe, Treue, Ehre, und gebührlichen Gehorsam: dich auch nicht zu verlassen, bis uns der Tod scheidet: so wahr mir Gott helfe, und alle seine lieben Heiligen.

Euch alle, die ihr hier gegenwärtig seid, nehme ich zum Zeugniß an, auf daß, wenn es nöthig sein sollte; ihr Zeugen sein möchtet, daß diese gegenwärtige Ehe zwischen diesen Personen vollkommentlich vollzogen, und von der Kirche bestätiget worden ist.

Gallicè.

Moi N. je vous prends N. pour mon épouse, et je vous promets l'amour, la foi et l'honnêteté de mariage, et que je ne vous abandonnerai point jusqu'à la mort, ainsi que je le demande à Dieu par l'intercession de tous les saints.

Moi N. je vous prends N. pour mon époux et je vous promets l'amour, la foi, l'honnêteté et l'obeïssance de mariage, et que je ne vous abandonnerai point jusqu'à la mort, ainsi que je le demande à Dieu par l'intercession de tous les saints.

Et Vous, Messieurs, qui êtes ici présens à ce mariage, vous rendrez témoignage, en cas de besoin, qu'il a eté légitimement contracté entre ces personnes et confirmé par l'église.

Litvanicè.

Asz N. imu sau tawe N. uż moteri ir priżadu tawe miletie, wiernaj ir grażej su tawim giwentie, tawes kłausitie, ir tawes iki smerties neaplejstie. Tejp man padek Diewe wisogalis Trajcioje szwentoje wienas, ir wisi szwentiejej.

Asz N. imu sau tawe N. už wira, ir prižadu tawe miletie, wiernaj ir grażej su tawim giwentie, tawes kłausitie, ir tawes iki smerties neaplejstie. Tejp man padek Diewe wisogalis Trajcioje szwentoje wienas, ir wisi szwentiejej.

Jus, katrie cze esate, busite swietkajs, jej kada rejks, jogej juodu dabar prigulinczej ing moteristes stona istojo, ir nuog Bażniczios szwentos padrutinima apturejo.

Postea Sacerdos dicit:

Quos ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et ideo matrimonium inter vos contractum, ego authoritate Ecclesiae catholicae confirmo et benedico: In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Jubeat neoconjuges ad Altare conversos genua flectere, dicendo super illos:

OREMUS.

Propitiare quaesumus Domine, supplicationibus nostris et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste: ut qui te

auctore junguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos et maneat semper. Amen.

Quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperunt, eos Parochus in secundis non benedicat, sive mulier, sive etiam vir, ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consvetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est. Viduae vero nuptias non benedicat, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit.

Benedictio nuptiarum Canonica, fit in Missa de sponso et sponsa ritu in Missali Romano descripto, quae nunquam iteranda sub poena suspensionis.

(Ante, non verò post praefatam missam, prout quidam perperam factitant, semper matrimonium contrahi debet formà superius praescripta, demptâ benedictione sequenti, cujus loco datur alia aequivalens in missa mox ordienda).

Quod si talis Missa non subsequatur, Sacerdos sequentem benedictionem det sponsis adhuc genuflexis hoc modo: (Vid. Decr. infer. p. 190).

Inprimis dicat psalmum 127.

Beati omnes, qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua, sicut vitis abundans: in lateribus domus tuae.

Filii tui, sicut novellae olivarum: in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bona Hierusalem: omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Isràél.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui etc.

℣. Salvos fac servum et ancillam tuam,
℟. Deus meus sperantes in te.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui primos parentes nostros, pia societate copulasti: benedic et sanctifica istos tui Sacramenti foedere desponsatos, et semina in eis semen vitae aeternae. Corda eorum tui sancti Spiritus munda infusione, et sinceri amoris copules nexu perpetuo. Angelo pacis comitante eos à mortifera daemonum infestatione custodias: et omnes mentis et corporis

adversitates ab eis repellas: ut munimine tuo protecti, et te donante devote laudent nomen sanctum tuum, quod est benedictum in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, sit vobiscum: et ipse adimpleat benedictionem suam in vobis: ut videatis filios filiorum vestrorum, usque ad tertiam, et quartam generationem, et postea vitam aeternam habeatis sine fine, in saecula saeculorum. Amen.

Demum concludet ut supra.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii etc.

Parochus neonuptos ac eorum comites admonere poterit, quomodo illos oporteat convivium nuptiarum exercere sic vg. dicendo:

Po ślubie zwyczajnie następuje wesele, na którém pospolicie się godownicy napijają, tańcują, a czasem Boga ciężko obrażają. Kochani katolicy! nie chcę ja wam uciech weselnych zupełnie zakazywać; ale was tylko słowy Pawła ś.

przestrzegam: *Weselcie się w Panu; powtóre mówię: weselcie się; ale skromność wasza* w jedzeniu, napoju, mówieniu i w każdym postępku, *niech będzie wiadoma wszystkim ludziom*, bo *Pan blisko jest* (1). Wolno wam wprawdzie wesoło się bawić; gdyż według Mędrca Pańskiego: *jest czas płaczu i czas śmiechu* (2); ale dla tego samego, że to ma swój czas i miejsce, zatém powinniście tego uczciwie zażywać, pamiętając zawsze na to, że Bóg i Aniołowie jego na was patrzą: i że ludzie z was albo się gorszyć, lub téż budować mogą. Wolno wam gustownych pokarmów i napojów użyć, ale pod miarą, liczbą i wagą, jako Bóg wszystko pod liczbą, wagą i miarą stworzył. Niech wam posłuży w tej mierze za wzór wesele sprawiedliwego Tobiasza; był na niém wszelki dostatek, panowała wesołość, ale niechcących nie przymuszano do napoju, a język wstrzymywano od obmów, kłótni, sprosnych słów; i owszem równie goście jak nowożeńcy tak zachowali

(1) Philip. IV. 5. (2) Eccle. III. 4.

się skromnie, trzeźwo i bogobojnie, iż samo pismo ś. tę im pochwałę daje, mówiąc: *Siedli do uczty, ale i wesele małżeńskie z bojaźnią Bożą sprawowali* (1). Przypomnijcie sobie także owo wesele w Kanie Galilejskiej, jak tam cnotliwe osoby na nie się zebrały, i jak wszyscy w ciągu niego uczciwie i w sposób budujący sprawować się musieli, kiedy je sam Chrystus nie tylko obecnością swą wraz z najświętszą Panną i uczniami swymi zaszczycił, ale nadto obróciwszy wodę w wino, cudem wielkim uczcił (2). Tak z wesel naszych ludzie budować się, a nie gorszyć powinni. Idźcie tedy w imię Pańskie do domu, a nie wypuszczajcie z pamięci tych przestróg, aby łaska Pana naszego Jezusa Chrystusa zawsze była z wami.

Peractis omnibus, Parochus manu sua describat in libro Matrimoniorum nomina Conjugum et testium, et alia juxta formam in fine libri hujus praescriptam.

(1) Tob. IX. 12. (2) Joan. II. 1.

BENEDICTIO NOVAE
nuptae post nuptias.

Sacerdos superpelliceo et stola indutus, muliere Ecclesiam ingressa et ante Altare constituta, dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.

PSALMUS 66.

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in aequitate: et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, be-

nedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri et Filio et Spiritui etc.

Deinde dicit psalmum 127, ut supra p. 178.

Beati omnes qui timent Dominum etc.

Deinde jubeat feminam cum suis, si adsunt, sociis, genuflectere et ipse stans, dicat:

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvam fac ancillam tuam,
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Praetende Domine famulae tuae dexteram coelestis auxilii, ut te toto corde perquirat; et quae digne postulat, consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, creator coeli et terrae, qui omnia de nihilo creasti, quique Adam protoplastum de limo terrae formasti, et Evam illi in adjutorium dedisti, eisque benedixisti, dicens: crescite et multiplicamini, et replete terram. Ne respicias ad peccata nostra, sed ad fidem Ecclesiae tuae. Et benedicere † digneris hanc famulam tuam, una cum marito suo: et da ei foecunditatem sobolis atque de rore coeli et de pinguedine terrae abundantiam. Benedic eis, tam in domibus, quam in agris, et ubique: in jumentis et pecoribus, omnibusque possessionibus, et re familiari. Et tandem omni pietate, castitate et morum honestate ornatos, in timore tuo perduc eos ad vitam aeternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvam fac ancillam tuam Domine,
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatae Mariae virginis partum, fidelium parientium dolores in gaudium vertisti: respice propitius, super hanc famulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiarum actione laetam accedentem: et praesta, ut post hanc vitam ejusdem beatae Mariae meritis et intercessione, ad aeternae beatitudinis gaudia cum prole sua pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta in modum Crucis, dicens:

Pax ex benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, et maneat semper. A.

---

1. In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem dominicum, vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurat dx 1*ae* vel 2 Class., etiamsi fiat officium, et Missa de festo duplici per annum sivè majori, sivè minori, dicendam esse missam *pro sponso* et *sponsa* in fine Missalis assignatam: in diebus verò dominicis, aliisque diebus festis de praecepto, ac duplicibus 1*ae* et 2*ae* class. dicendam esse Missam de festo cum commemor. Missae *pro sponso et sponsa.* S. R. Congregatio die 20 Decembr. 1783.

2. Alio decreto d. 28 febr. 1818 a Pio VII. 3 Martii sequentis approbato, declaravit missam pro sponso et sponsa juxta praefatum decretum 1783, celebrandam esse „votivam privatam proindeque semper celebrandam sine Hymno Angelico et Symbolo, cum tribus orationibus, prima videlicet ejusdem missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis, secunda et tertia diei currentis. *Benedicamus Dno* in fine et ultimo evang. S. Joannis."

3. Eadem S. Congr. per aliud decretum 20 April. 1822, quaedam suborta resolvens dubia, respondit Missam votivam pro sponso et sponsa dici non posse diebus festa duplicia excludentibus v. g. infra octavam Epiphaniae et alias octavas similiter privilegiatas, ac consequenter, si his diebus benedicendae sint nuptiae, dicendam esse missam de die cum commemoratione nuptiarum.— In Missis votivis de sponsalibus dicitur praefatio de tempore vel de octava occurrente.

4. Si mulier est vidua, non solum debet omitti benedictio nuptiarum, sed etiam missa propria pro sponso et sponsa. *S.R.C. Martii* 1761.



DE SACRAMENTO
EXTREMAE UNCTIONIS.

Extremae Unctionis Sacramentum à Christo Domino institutum, tanquam coelestis medicina, non animae solum, sed etiam corpori salutaris, omni studio ac diligentia periculosè aegrotantibus adhibendum est; et eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget: ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

In quo illud in primis ex generali Ecclesiae consvetudine observandum est, ut si tempus et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmis praebeantur.

Habeat igitur Parochus loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis Feria V in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico Oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest,

Oleum porro ipsum vel per se solum, vel in bombacio, seu re simili servari potest: sed ad evitandum effusionis periculum, multo commodius ad infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis praeberi, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant ut mortis periculum imminere videatur, et iis qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur.

Sed si infirmus, dum phrenesi, aut amentia

laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptisatis, penitus denegetur.

Non ministretur etiam praelium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.

Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur Unctiones; scito ungatur, incipiendo ab eo loco: Per istam Sanctam Unctionem, etc. *ut infra: deinde si adhuc supervivat, dicantur orationes praetermissae, suo loco positae.*

Si vero, dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, et praedictas orationes omittat.

Quod si dubitet, an vivat adhuc, Unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: si vivis, per istam sanctam Unctionem, etc. *ut infra.*

Si autem acciderit, infirmum post peccatorum suorum confessionem ad exitum vitae properare, tunc cum sacro Viatico poterit et Oleum infirmorum ad eum deferri, per ipsum Sacerdotem, qui defert sacram Eucharistiam. Si tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur: qui superpelliceo indutus, cum

Oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem viaticum portantem, et postquam infirmus Viaticum sumpserit, inungatur à Sacerdote.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.

Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os, et manus; attamen pedes etiam et renes ungendi sunt: sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur: atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, presbyteris exterius ungantur.

Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit; caveat ne alterum ipsorum inungendo Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait:

Per istam sanctam Unctionem, et suam piis-

simam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, sive per auditum, *etc.* deliquisti.

ORDO MINISTRANDI
SACRAMENTUM EXTREMAE UNCTIONIS.

Sacerdos igitur hoc Sacramentum ministraturus, quatenus fieri poterit, parari curet apud infirmum mensam mappâ candida coopertam, itemque vas, in quo sit bombacium, seu quid simile in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas; medullam panis ad detergendos digitos, et aquam ad abluendas Sacerdotis manus; cereum item candelam, quae deinde accensa ipsi ungenti lumen praebeat. Denique operam dabit, ut quanta poterit munditia ac nitore hoc Sacramentum ministretur.

Deinde convocatis Clericis seu ministris, vel saltem uno Clerico, qui Crucem sine hasta, Aquam benedictam cum aspersorio et librum Ritualem deferat, ipse Parochus decenter accipit vas sacri Olei infirmorum sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute defert ne effundi possit. Quod si longius iter peragendum, aut etiam equitandum sit, vel alias adsit periculum effusionis, vas Olei sacculo, aut bursa inclusum, ut dictum est, ad collum

appendat, ut commodius, et securius perferat. Procedat autem sine sonitu companulae.

Cum perventum fuerit ad locum ubi jacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit:

℣. Pax huic domui,

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo stolaque violacea indutus, aegroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis cum Aqua benedicta, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: Asperges me Domine, etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri audiat illum et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi atque efficatia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, ejus animum confirmet, et in spem erigat vitae aeternae.

Modus praeparandi infirmum ad Sacramentum Extremae Unctionis, v. g.

Pojednawszy się z Bogiem przez spowiedź sakramentalną, i przyjąwszy najświętsze ciało i krew Jezusa Chrystusa, radbyś podobno do zdrowia powrócić, lub śmiercią sprawiedliwego umrzeć; radbyś zapewne dostąpić odpuszczenia grzechów, które jeszcze możesz mieć na duszy twej, a o których nie

wiesz i spodziewać ich się nie możesz; radbyś nareszcie otrzymać pomoc do zwyciężenia pokus czarta i do oddalenia tęskności i trwogi jaką choroba sprawuje: otóż to wszystko może ci zjednać godne przyjęcie Sakramentu oleju świętego.

Czytamy w ewangelii ś. iż Apostołowie *wielu chorych uzdrawiali namaszczając ich olejem* (1). Bóg dziś tak mocny jest, jak był za czasów Apostolskich. Może ci więc przez ten Sakrament oleju ś. przywrócić zdrowie; jeżeli to do zbawienia duszy twojej osądzi być pożytecznem. Ciemny tylko człowiek w prawach wiary Chrystusowej, lęka się tego ś. Sakramentu, sądząc nie mądrze jakoby przyśpieszał śmierć; lecz gruntowny katolik pragnie go w swej chorobie przyjąć, wiedząc o tém z nauki boskiej i kościelnej, a nawet i z doświadczenia, że on jest skutecznem lekarstwem na uleczenie nie tylko duszy, ale i ciała, gdy jego zdrowie potrzebne jest do zbawienia. Bo mówi ś. Jakób Apostół:

(1) Marc. VI. 13.

Choruje kto między wami, niech sprowadzi kapłanów kościoła, a niech się modlą nad nim, namuszczając go olejem w imię Pańskie: a modlitwa wiary uzdrowi chorego, i ulży mu Pan: a jeśliby w grzechach był, będą mu odpuszczone (1).

Wiekować jednak tu nie możemy, ale musimy koniecznie, według odwiecznego wyroku bożego, kiedyś umrzeć. Gdyby tedy Panu Bogu podobało się teraz ten wyrok na tobie spełnić, to ci ten Sakrament zjedna śmierć dobrą, jaka była ś. Piotra, ś. Pawła, ś. Wincentego i innych wybranych sług bożych, którzy z weselem umierali, wiedząc że na tamtym świecie lepszy ich żywot czeka.

Przykre są wprawdzie przed śmiercią tęskności i trwogi, trudne do pokonania pokusy szatańskie, któremi on człowieka od wiary prawdziwej do niedowiarstwa, od nadziei do rozpaczy, od miłości Boga i bliźniego do nienawiści przywieść chce; ale opatrzywszy się tym Sakramentem, możesz mieć ufność, iż te przykrości

(1) Jac. V. 14 et 15.

i trudności przy łasce Boga pokonasz, bo mówi ś. Jakób: *Ulży mu Pan.*

Nakoniec, Sakrament oleju ś. gładzi te grzechy, których człowiek do siebie nie-zna, i spowiadać ich się nie może. *Grze-chy któż zrozumié?* mówi Psalmista (1). Bo są grzechy młodości, są i niewiado-ści, są własne, są i cudze, są główne, są i przeciw Duchowi świętemu, ale gdybyś który z nich miał na duszy bez twojej wiadomości, wtedy za pomocą żalu przez ten Sakrament odpuszczenia jego dostąpisz. Jako mówi ś. Jakób: *Jeśliby w grzechach był, będą mu odpu-szczone.*

Zdaj tedy życie i śmierć na wolą Boga, który obojga jest sprawcą. Gotuj się z mądremi duszami przez żywą wiarę i gorącą miłość, na wyjście przeciw Je-zusowi Chrystusowi Panu twojemu. Ża-łuj za wszystkie grzechy twoje tak wia-dome jako i niewiadome; żałuj w szcze-gólności za złe użycie zmysłów, jakoto: oczu, uszu, ust i innych, które będą namaszczane, bo przez nie zwykły grze-

(1) Ps. XVIII. 13.

chy do duszy wchodzić. A iż ci pewnie trudno mówić usty, mówże przynajmniej myślą.

Pragnę o Boże mój! przyjąć Sakrament oleju ś., przez który, w tej mojej chorobie, chcesz mnie wzmocnić zasługami jednorodzonego Syna twojego, a Zbawiciela naszego Jezusa Chrystusa. Żałuję serdecznie za wszystkie grzechy całego życia mojego, które pamiętam i których nie pamiętam, których za grzech sobie nie miałem, i których do siebie nie znam, ale Ty je o Boże najlepiéj poznajesz! Brzydzę się niemi, dla tego żem Cię Pana i Boga mojego nieskończoną dobroć przez nie obraził.

Praesentibus dicat:

A ponieważ powinniśmy się jedni za drugich modlić, abyśmy zbawieni byli: albowiem modlitwa sprawiedliwego wiele waży u Boga. Przetoż wy obecni módlcie się za tego chorego, aby mu Bóg w tej chwili niebezpiecznej ulgę i miłosierdzie w odpuszczeniu grzechów wyświadczyć raczył. A zatém poklęknąwszy, zmówcie na jego intencyę: *5 Ojcze nasz, 5 Zdrowaś Marya, i jedno, Wierzę w Boga.*

Qui vero possunt recitare Psalmos Poenitentiales *cum* Litaniis, *haec Sacerdos eisdem injungat, ut infra notatur.*

Vor der letzten Oelung.

NN. Unser Herr Jesus Christus will dir vollständige Gnade ertheilen, durch das Sakrament der letzten Oelung, welches er zum Tröst und zur Hilfe der Kranken eingesetzt hat. Dieses Sacrament vermehret in uns die heiligmachende Gnade; es reiniget uns von Sünden, welche wir entweder nicht kennen, oder für Sünde nicht halten, oder vergessen haben. Es stärket den Kranken, daß er die Schmerzen und Ungemächligkeiten der Krankheit geduldig ausstehen, und den Anfechtungen des Teufels widerstehen möge. Alles dieses wirket es durch die Verdienste, durch das Leiden und Blut unsers Erlösers Jesu Christi. Es befördert auch oft die Gesundheit des Leibes, wenn diese dem Seelenheile zuträglich ist. Verlangst du es jetzt anzunehmen? ℟. Ja.

So erwecke in dir mit möglichster Andacht die göttlichen Tugenden: den Glauben, die Hoffnung und Liebe, und auch die bitterste Reue und Leid für alle deine Sünden.

„Ich glaube an Dich o mein Gott, o Du ewige Wahrheit! Ich hoffe und vertraue auf Dich, o unendliche Barmherzigkeit! Ich liebe Dich vom Herzen, o allerhöchstes Gut! und weil ich Dich also liebe, deswegen bereue ich über Alles meine Sünden meines ganzen Lebens, besonders jene, welche ich durch einen übeln Gebrauch meiner Glieder und äusserlichen Sinne begangen habe. Ich hoffe aber Verzeihung derselben durch die Kraft der heiligen Sakramenten deiner wahren Kirche. Amen.

Durch diese deine heilige Salbung, und deine mildeste Barmherzigkeit, verzeihe mir, o gütigster Gott! was ich jemals mit meinen Augen, Ohren, Mund, Geruch, Händen und Füssen gesündiget habe.“ Amen.

Exhortation avant l'Extrême-Onction.

NN. Notre Seigneur Jésus-Christ veut bien vous faire la grâce de vous rendre participant du sacrement, qu'il a institué pour fortifier les malades. C'est une grâce, qu'ont toujours désirée ardemment les bons catholiques et les saints.

Ainsi je suis prêt à vous administrer

ce Sacrement de l'extrême-onction, pour vous donner des forces contre les ennemis de votre âme, et pour vous purifier de tous les péchés, que vous n'avez pas connus, ou que vous n'avez pas regardés comme péchés, ou que vous avez oubliés, lesquels pourraient vous empêcher de voir vîte Dieu et de vous réjouir avec lui.

C'est ce Sacrement, qui rend aussi la santé du corps, lorsqu'elle est nécessaire pour le salut de l'âme, et lorsqu'on le reçoit à temps, tandis qu'il peut encore y avoir éspoir de revenir en santé.

Voulez-vous le recevoir maintenant?

℟. Oui.

Ayez donc une véritable foi, et une ferme confiance en ce sacrement. Il tire sa force de la passion, du sang et des mérites de Jésus-Christ. Et pour participer d'autant plus à ses effets, ayez un extrême regret fondé sur l'amour de Dieu, de tous vos péchés, et même des péchés véniels, et de ceux, dont vous ne vous ressouvenez pas.

Formez l'intention de le recevoir, *par exemple en cette manière:*

Prière avant l'Extrême-Onction.

Je désire ardemment, o mon Dieu, de recevoir le sacrement de l'extrême-onction, par lequel vous voulez dans ma maladie me fortifier et me soulager en vue des mérites de votre fils unique, notre Sauveur Jésus-Christ. J'ai un extrême regret de tous les péchés de toute ma vie, dont je me souviens, et dont je ne me ressouviens point, et de ceux que je n'ai point regardés comme péchés. Je m'en repens du plus profond de mon coeur, et je les déteste souverainement, parce que je vous ai offensé, vous mon Seigneur et mon Dieu, qui êtes la bonté infinie.

Postea dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Introeat, Domine Jesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu,

aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus daemonum: adsint Angeli pacis: domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica Domine, super nos nomen sanctum tuum; et benedic † nostrae conversationi: sanctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Oremus et deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo benedicat † hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine Sancte Pater omnipotens, aeterne Deus: et mittere di-

gneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta Confessione generali, latino, vel vulgari sermone, Sacerdos dicat: Misereatur tui, etc. Indulgentiam absolutionem, *etc.*

Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat:

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum:

Ad oculos.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.

Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet Unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eaque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Ad aures.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad nares.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad os, compressis labiis.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum et locutionem deliquisti. Amen.

Ad manus.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. Amen.

Meminerit quod Sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interius, sed exterius.

Ad pedes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad lumbos, sive renes.

Per istam sanctam Unctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

Haec autem unctio ad lumbos, ut dictum est, omittitur semper in feminis, et etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo, moveri non possunt.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit:

Kyrie elejson, Chryste elejson.
Kyrie elejson. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo
℣. Salvum fac servum tuum,
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei Domine, turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es: infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccle-

Mox Sacerdos dicit alta voce: Pater noster, etc., *et secreto dicitur ab omnibus: et ipse interim accipit a Diacono vel Acolytho Aspersorium aquae benedi-*

etae, et facta profunda inclinatione Cruci, quae est ex adverso: Diacono seu ministro genuflectente, et fimbrias pluvialis sublevante, circumiens feretrum (si transit ante Sacramentum genuflectit), aspergit corpus defuncti; deinde reversus ad locum suum, Diacono ministrante accipit thuribulum, et eodem modo circuit feretrum, et corpus incensat, ut asperserat: postea reddito thuribulo ei a quo acceperat, stans in loco suo, Acolytho seu alio ministro tenente librum apertum ante se, dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi,
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace,
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: te supplices exoramus pro anima famuli tui N., quam hodie de hoc saeculo migrare jussisti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi, et ad patriam paradisi perduci: ut quia in te speravit et credidit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia aeterna possideat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: **pro anima famuli tui Sacerdotis, quam hodie, etc.**

Finita Oratione, corpus defertur ad sepulchrum, si tunc deferendum sit, et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam:

In paradisum deducant te Angeli: in tuo adventu suscipiant te Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem. Chorus Angelorum te suscipiat et cum Lazaro quondam paupere aeternam habeas requiem.

Postea Celebrans intonat Antiphonam: **Ego sum,** *et Chorus Canticum,* **Benedictus,** *quod canitur usque ad locum tumuli perventum fuerit.*

Cum pervenerit ad sepulchrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem.

Oremus.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescunt, hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctum deputa custodem; et quorum, quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum, ut in te semper cum sanctis tuis sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicta oratione, Sacerdos Aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti et tumulum.

Quodsi corpus tunc ad sepulturam non deferatur, omisso responsorio: **In Paradisum, etc.,** *et benedictione sepulchri si jam est benedictum, prosequatur officium ut infra, quod nunquam omittitur, et intonat Antiphonam:* **Ego sum resurrectio.** *Et dicitur Canticum:* **Benedictus.**

Et repetitur Antiphona:

Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.

Postea Sacerdos dicit:

Kyrie elejson, Christe elejson,
Kyrie elejson. *Pater noster.*

Interim corpus aspergit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi,
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace,
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Fac quaesumus Domine, hanc cum servo tuo defuncto misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut sicut hic eum, vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit femina dicatur:

Oremus.

Fac quaesumus Domine, hanc cum famula tua defuncta misericordiam, ut factorum suorum in poenis non recipiat vicem, quae tuam in votis tenuit voluntatem; ut sicut hic eam, vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eam tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona ei Domine,
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℟. Requiescat in pace,
℣. Amen.
℟. Anima ejus, et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Deinde a sepultura in Ecclesiam, vel in Sacristiam revertentes dicant sine cantu Antiphonam: Si iniquitates *cum Psalm:* De profundis, etc. Requiem aeternam dona ei Domine.

Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem praedictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis et Laudibus dici non potest; deposito in Ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, maximè ubi ejusmodi viget consvetudo, incipiendo ab Invitatorio: Regem, cui omnia vivunt: Venite, etc.

Et postea omnia alia dicantur, quae supra praescripta sunt dicenda post Officium Mortuorum et Missam.

Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliae praedictae Preces et Suffragia nunquam omittantur.

Missa vero, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, praesente corpore, non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter svadea, et post Missam fiat, ut supra.

ORDO
EXEQUIARUM BREVIOR EX USU
PROVINCIÆ HUJUS.

Cum corpus defuncti domo effertur, canatur Responsorium: Libera me Domine, etc. *Cum autem ad Ecclesiam, vel Coemeterium delatum fuerit, Sacerdote ad caput feretri, penes sepulchrum stante, canitur Responsorium:* Qui Lazarum, etc. *cum suo versu, et* Requiem aeternam, etc.

Quo finito Sacerdos cum aliis, si commode poterit, genuflexus, dicit tono consveto, lugubri.

℣. Kyrie elejson,
℟. Christe elejson,
Kyrie elejson. *Pater noster, etc.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi,
℟. Libera Domine animas eorum.
℣. Requiescant in pace,
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde assurgendo prosequitur:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam inspirare dignatus es, dum te jubente, pulvis redit in pulverem: tu imaginem tuam eidem corpori, virtute resurrectionis tuae reddendam, cum Sanctis et electis tuis, aeternis sedibus praecipias sociari. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Deinde defuncto in tumulum demisso, Sacerdos aspergat illum aqua benedicta, et parum terrae injiciendo, dicat:

De terra formasti me Domine, et carne induisti me: resuscita me in novissimo die, Redemptor meus Domine.

Postremo dum perficitur sepultura, canitur per chorum Antiph: Salve Regina.

De Officio faciendo in exequiis absente corpore defuncti, et in die tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

Si faciendae sint exequiae absente corpore, eo die, quo bene visum fuerit, in Ecclesia dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis, et Laudibus, et Antiph: duplicatis, vel saltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus et Laudibus, et Missa. Post Missam celebrans deponit manipulum et planetam, et accipit pluviale nigri coloris, et praecedentibus Subdiacono cum Cruce, et Clero, et duobus Ceroferariis

cum luminaribus accensis, et duobus Acolythis, uno cum navicula incensi et thuribulo, et altero cum vasculo Aquae benedictae et aspersorio, et hoc libro Rituali, accedit cum Diacono a sinistris ad locum tumuli et ibi circumstante Clero cantatur: ℟. Libera me Domine, etc. *ut supra, fol.* 298. *Interim ministratur incensum, benedicitur, et imponitur in thuribulum.*

Postea dicitur: Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. *Sacerdos dicit:* Pater noster, etc. *et dum secreto dicitur accipit aspersorium, circuit tumbam aspergens; deinde incensat eodem modo, ut dictum est, postea dicit:*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi,
℟. Erue domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace,
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui N. (*vel* famulae tuae), ut defunctus (*vel* defuncta) saeculo, tibi vivat: et peccata, quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Vel dicatur Oratio, quae dicta est in Missa vel alia conveniens.

℣. Requiem aeternam dona ei Domine,
℟. Et lux perpetua luceat ei.
℣. Requiescat in pace,
℟. Amen.

Si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio et Versus dicantur in plurali numero, si fuerit mulier, in genere feminino: si fuerit Sacerdos vel Episcopus in oratione exprimitur nomen dignitatis, etc.

Praedictus autem Officii ritus pro defunctis adultis tam Sacerdotibus et Clericis, quam saecularibus et laicis, servari debet in Officio sepulturae in die depositionis, sive in die tertio, septimo, trigesimo, et anniversario.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.

In primis admonendi sunt Parochi, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consvetudinem parvulorum corpuscula non sepeliantur communibus et promiscuis coemeteriorum et ecclesiarum sepulturis; sed ut pro illis in Parochialibus Ecclesiis, aut illarum coemeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos, et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptisati fuerint infantes, vel pueri qui ante annos discretionis obierunt.

In funere parvulorum ut plurimum non pulsantur campanae: quod si pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent.

ORDO
SEPELIENDI PARVULOS.

Cum igitur infans vel puer baptisatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur juxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; et Parochus superpelliceo et stola alba indutus, et alii de Clero, si adsint, praecedente Cruce, quae sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti cum Clerico aspersorium deferente, Sacerdos aspergit corpus; deinde dicit:

Antiphonam: Sit nomen Domini, etc.

Psalmus 112.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes Gentes Dominus: et super coelos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: et humilia respicit in coelo et in terra?

Suscitans a terra inopem: et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiph. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in saeculum.

Dum portatur ad Ecclesiam, dicatur Psalmus: Beati immaculati, etc., *et si tempus superest, dici potest Psalm:* Laudate Dominum de coelis, *cum aliis duobus sequentibus; et in fine:* Gloria Patri, etc.

Cum autem pervenerint ad Ecclesiam dicatur: Antiph: Hic accipiet, etc.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam: nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum: quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? Dominus virtutum ipse est Rex gloriae.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, quia haec est generatio quaerentium Dominum.

Postea dicitur:

Kyrie elejson, Christe elejson,
Kyrie elejson. *Pater noster. secreto.*

Interim corpus aspergit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Me autem propter innocentiam suscepisti,
℟. Et confirmasti me in conspectu tuo in aeternum.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis vitam illico largiris aeternam, sicut animae hujus parvuli hodie credimus te fecisse, fac nos, quaesumus Domine, per intercessionem Beatae Mariae semper virginis, et omnium Sanctorum tuorum, hic purificatis tibi mentibus famulari, et in Paradiso cum beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum et etiam si tunc non portetur, dicitur:

Antiph: Juvenes, etc.

Psalmus: Laudate Dominum de coelis, etc., *et in fine:* Gloria Patri, etc., *et repetitur:*

Antiph: Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini.

Kyrie elejson, Christe elejson,
Kyrie elejson. *Pater noster, etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Sinite parvulos venire ad me,
℟. Talium est enim regnum coelorum.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, sanctae puritatis amator, et qui animam hujus parvuli ad coelorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es, digneris etiam Domine, ita nobiscum misericorditer agere; ut meritis tuae sanctissimae passionis et intercessione Beatae Mariae semper Virginis, et omnium Sanctorum tuorum, in eodem regno nos cum omnibus Sanctis et electis tuis semper facias congaudere. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos corpus aspergat Aqua benedictâ, et thurificet, similiter et tumulum, postea sepeliatur.

Cum autem a sepultura revertuntur in Ecclesiam, dicatur:

Antiphona: Benedicite, etc.

Canticum trium puerorum. Dan. III.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes Spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia quae moventur in aquis Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es Domine, in firmamento coeli: et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Antiphona: **Benedicite Dominum omnes electi ejus, agite dies laetitiae, et confitemini illi.**

Deinde ante altare dicit Sacerdos:

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.



FORMULÆ SCRIBENDI
in libris habendis apud Parochos, ut infra notatur.

Liber baptisatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur baptisma.

Liber confirmatorum habeatur in Ecclesiis, in quibus confertur chrisma.

Liber matrimoniorum.

Liber status animarum.

Liber defunctorum habeatur etiam in omnibus Ecclesiis, in quibus defuncti sepeliuntur.

Advertat imprimis Parochus, ut in libris tam baptisatorum, et confirmatorum, quam matrimoniorum, defunctorum, exprimat semper non solum nomen personarum, quae ibi nominantur, sed etiam familiam.

Forma describendi baptisatos in primo Libro.

Anno Domini die mensis Ego N. Parochus hujus Ecclesiae S. N. Civitatis, *vel* loci N. baptisavi infantem die natum, *vel* natam ex N. et N. conjugibus, hujus Parochiae S. N. et ex tali patria, et familia, cui impositum est nomen N. Patrini fuerunt N. filius N. ex Parochia, seu loco N. et N. Conjux N. filia N. ex Parochia seu loco N.

Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur, (omnis tamen infamiae vitetur occasio), si vero de neutro constat, ita scribatur:

Baptisavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die, etc. *ut supra.*

Si expositus sit infans, exprimatur, quo die, ubi, et a quo repertus, et quod dierum verisimiliter sit, et baptisetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptisatum.

Si infans domi, ob imminens mortis periculum baptisatus sit, tunc ita scribatur.

Anno, die, mensis, natus est N. filius N. et N. conjugum etc. *ut supra*, quem ob imminens mortis periculum in domo rite baptisavit N. obstetrix probata, *vel* N. filius N. ut mihi retulit N.

Si supervixerit infans, et adhibitae sint in ecclesia sacrae caeremoniae, ita addatur.

Die ejusdem mensis ad ecclesiam portatus est infans praedictus, ipsique ego Parochus, sacras caerimonias et preces adhibui, et N. nomen imposui.

Si fortè non Parochus, sed alius baptisaverit, id exprimatur.

Si fuerit baptisatus sub conditione (si non baptisatus, etc.), *id pariter exprimatur.*

Forma describendi Confirmatos in secundo libro.

Anno, die, mensis, etc. Qui fuit dies, etc. N. filius N. et N. conjugum N. *vel* filia N. *(et si*

fuerit nupta addatur uxor N.) Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendis. D.N. Episcopo N. in Ecclesia S. N. Civitatis N. *vel* loci N. Compater fuit N. filius N. Parochiae S. N. Civitatis *vel* loci N.

Marium descripto in una pagina, seu prima facie folli; Feminarum vero in altera sejunctim notetur.

Si confirmatus non constet, an ex legitimo matrimonio genitus sit vel parentes ignorentur; servetur, quod in libro baptisatorum praescriptum est.

Forma scribendi conjugatos in tertio libro.

Anno die mensis denuntiationibus praemissis, tribus continuis diebus festivis, quarum prima die secunda die tertia die inter Missae parochialis solemnia, habita est, nulloque legitimo impedimento detecto, ego N. Rector hujus Ecclesiae Parochialis N. Civitatis, *vel* loci N. filium N. Parochiae S. N. et N. filiam N. seu relictamque N. *(si vidua fuerit)*, hujus seu Parochiae S. N. in Ecclesia N. interrogavi, eorumque mutuo consensu habito, solenniter per verba de praesenti matrimonio conjunxi, praesentibus testibus notis N. filio N. qui habitat in Parochia S. N. et N. filio N. etc. et N. Filio N. etc. Postea eis ex ritu Sanctae Matris Ecclesiae *(si tamen nuptias benedixerit)* in Missae celebratione benedixi.

Si unus ex iis, qui matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiae fuerit, antequam admittatur Parochus, in cujus ecclesia matrimonium celebrari debet, denuntiationum in ejus Parochia ritè

factarum fidem scriptam habeat; quae asservetur, et res tota exprimatur in ipsomet libro matrimoniorum, hac ratione:

Denuntiationes hujus Matrimonii, factae sunt etiam a R. D. N. Parocho Ecclesiae S. N. sub cujus cura dictus N. *vel* dicta N. habitat, ut ex ipsius Parochi scripto servato apud me apparet. Denuntiationum autem prima facta est die secunda die tertia die inter Missae Parochialis solemnia, nullumque impedimentum Canonicum detectum est.

Si autem alteruter sit diversae Dioecesis, testimonium Parochi affirmantis, denuntiationes esse ritè praestitas, nullius roboris censeatur, nisi ab Episcopo, vel ab ejus Vicario generali illius Dioecesis, subscriptione, et sigillo comprobatum, et ab Episcopo, seu ejus Vicario loci, ubi contrahitur matrimonium, recognitum sit ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

Ubi vero Ordinarii concessu (quod scripto constare debet), denuntiationes aliquae differendae, aut omittendae interdum sint, ita notetur:

Anno Domini N. die N. mensis N. Denuntiationum una die rite facta, reliquis vero dilatis post Matrimonii celebrationem, ex facultate scripto concessa a Reverendis. N. seu a Vicario N. sub die datis, etc. infra scripti tenoris, quam penes me servo, cum aliis hujusmodi facultatibus, nulloque prorsus impedimento allato. Ego etc. *ut supra.*

Denuntiationes vero, quae post contractum matrimonium fient, ita scribantur:

Anno N. die N. mensis N. qui fuit Festus, etc. et sequenti, qui fuit Dominicus etc. ejusdem mensis; Ego N. Rector hujus Ecclesiae S. N. inter Missarum solemnia denuntiationes habui matrimonii, jam praevia oportuna dispensatione initi, inter N. et N. die prima hujus mensis; nullum tamen canonicum impedimentum ab aliquo allatum est, quo minus hujusmodi matrimonium ratum, ac firmum esse debeat.

Si autem denuntiationes omnes omittendae sint aut differendae, ita scribatur: Denuntiationibus omnibus omissis, *vel* dilatis, etc. ex facultate, etc. Ego Rector N. etc. *ut supra.*

Caeterum si alteri Presbytero ab Ordinario, vel a Parocho ipso facultas facta sit conjungendi aliquos; id in libro proprii Parochi sic adnotetur ipsius Parochi manu:

N. Presbyter, vel Capellanus Ecclesiae N. de licentia Reverendissimi Episcopi N. seu N. ejus Vicarii loci N. aut mea, quae penes me extat N. filium N. et N. etc. matrimonio conjunxi etc. *ut supra.* Et ego N. Parochus N. subscripsi, et testor, rem ita se habere.

Quod si ex denuntiationibus compertum sit, conjuges aliquo consanguinitatis aut affinitatis gradu conjunctos esse et nihilominus ad contrahendam fuerit cum ipsis Apostolica authoritate dispensatum, adnotetur gradus consanguinitatis, vel affinitatis dispensatae, et compendium decreti super ea relati, cum die et anno, ac Notarii de illo rogati nomine, hoc modo:

Anno Domini N. die N. mensis N. praemissis denuntiationibus, ac comperto impedimento secundi, vel tertii, aut quarti gradûs consangui-

nitatis vel affinitatis seu alio quovis etc. inter N. et N. etc. obtentoque per eos Apostolicae sedis mandato de dispensando, et cum eis per Reverendissimum Episcopum N. auctoritate dispensato, die N. anno N. ut constat ex Actis Notarii officii praedicti Episcopi, eos matrimonio conjunxi, etc. *ut in praedicta formula.*

Denuntiationes autem factae in diversis Parochiis, sponsi videlicet et sponsae, ab utroque Parocho in libro notari debent, etiamsi matrimonium non sequatur.

Forma describendi Statum animarum, in quarto libro.

Familia quaeque distincte in libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram subsequentem, in quo sigillatim scribantur nomen, cognomen, actas singulorum, qui ex familia sunt, vel tamquam advenae in ea vivunt.

Qui vero ad sacram Communionem admissi sunt hoc signum C. *in margine e contra habeant.*

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signum habeant Chr.

Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur. Hac igitur ratione fiat, videlicet:

Anno N. die N. mensis N. In via, seu platea, seu pago, in propriis aedibus Pauli N. vel in aedibus N. a Paulo conductis habitant.

Chr. Paulus N. Petri filius, annorum, etc.

Chr. Apolonia ejus uxor, filia Jacobi N. annorum, etc.

C. Dominicus eorum filius annorum, etc. Lucia eorum filia, annorum, etc.

C. Chr. Antonius filius N. famulus, annorum, etc.

C. Catharina N. filia N. ancilla annorum, etc.
†. Martinus filius N. annorum, etc.

Formula describendi defunctos in quinto libro.

Describatur quis, et quae, et cui Sacramenta ministraverit, quando, quis mortuus fuerit, et ubi sepultus, quod hoc pacto fieri poterit.

Anno die mensis N. filius N. ex loco N. aetatis N. *(si haec sciri possunt)*, in Domo N. in communione sanctae matris Ecclesiae animam Deo reddidit, cujus corpus die N. sepultum est in Ecclesia S. N. mihi N. vel N. Confessario probato confessus die N. Sanctissimoque Viatico refectus die N. et sacri Olei unctione roboratus etiam per me die.

Forma extradendi ex libro metrices baptisatorum.

Ego Antonius N. Praepositus, *vel* Parochus, *vel* Commendarius, *vel* Vicarius Ecclesiae Parochialis N. Omnibus et singulis quorum interest aut quomodolibet interesse poterit notum testatumque facio in Libro baptisatorum id quod sequitur reperiri: *Scribatur ut in libro baptisatorum invenitur. Adscriptis his, quae sunt in libro, finiatur.* In quorum fidem has testimoniales literas sigillo Ecclesiae munitas manu propria subscribo. — Datt. N. die N. mensis N. anno N.

Forma extradendi ex libro Metrices conjugatorum.

Ego Antonius N. Praepositus, *vel* Parochus, *vel* Commendarius, *vel* Vicarius Ecclesiae Pa-

rochialis N. omnibus et singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit notum testatumque facio in libro Conjugatorum, id quod sequitur reperiri: *Scribatur ut in libro Conjugatorum invenitur. Adscriptis his, quae sunt in libro, scribatur:* in quorum fidem, etc. *ut supra.*

Forma extradendi ex libro Metrices mortuorum.

Ego Antonius N. Praepositus, *vel* Parochus, *vel* Commendarius *vel* Vicarius Ecclesiae N. omnibus et singulis, quorum interest aut quomodolibet interesse poterit notum testatumque facio, id quod sequitur in líbro mortuorum reperiri: *Scribatur ut in lîbro mortuorum invenitur. Adscriptis his, quae sunt in libro, scribatur:* in quorum fidem, etc. *ut supra.*

Forma extradendi ex libro Metrices Conversorum.

Ego Antonius N. Praepositus, *vel* Parochus, *vel* Commendarius, *vel* Vicarius Ecclesiae Parochialis. Omnibus et singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit notum testatumque facío in libro Metrices conversorum, id quod sequitur reperiri: *Scribatur ut in libro Conversorum invenitur. Adscriptis his, quae sunt in libro, scribatur:* in quorum fidem, etc *ut supra.*

ALTERA PARS
RITUALIS
DE
CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS.

DE BENEDICTIONIBUS REGULÆ GENERALES.

Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo jure pertineant: ne majoris dignitatis munera, temerè, aut imperite unquam usurpet propria authoritate.

In omni benedictione extra missam Sacerdos saltem superpelliceo et stola, pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

Stando semper benedicat, et aperto capite.

In principio cujusque benedictionis dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Deinde dicatur Oratio propria, una vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

Postea rem aspergat aqua benedicta, et ubi notatum fuerit, pariter incenset, nihil dicendo.

Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquae benedictae, et aspergillo, et cum hoc Rituali libro, seu Missali.

Caveat ne benedictionis causa ponat aliquid indecens super altare, veluti esculenta, sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratum.

ORDO
ad faciendam aquam benedictam.

Diebus Dominicis, et quandocunque opus fuerit, praeparato sale, et aqua mundu benedicenda in Ecclesia, vel in Sacristia, Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus, primo dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde absolute incipit exorcismum salis.

Exorciso te creatura salis, per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † Sanctum, per Deum, qui te per Elisaeum prophetam in aquam mitti jussit,

ut sanaretur sterilitas aquae: ut efficiaris sal exorcisatum in salutem credentium: et sis omnibus sumentibus te, sanitas animae et corporis: et effugiat atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia et nequitia, vel versutia diabolicae fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

OREMUS.

Immensam clementiam tuam, omnipotens aeterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere ✝ et sanctificare ✝ tua pietate digneris; ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; et quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiae. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorcismus aquae, et dicatur sine oremus.

Exorciso te creatura aquae, in nomine Dei ✝ Patris omnipotentis, et in

nomine † Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, et in virtute Spiritus † Sancti: ut fias aqua exorcisata ad effugandam omnem potestatem inimici et ipsum inimicum eradicare, et explantare valeas cum angelis suis apostaticis: per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quaeque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus praeparato, virtutem tuae benedictionis † infunde, ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos daemones, morbosque pellendos, divinae gratiae sumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium, haec unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiae latentis inimici; et si quid est,

quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquae effugiat, ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum, etc.

Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commixtio salis et aquae, pariter fiat, in nomine ✝ Patris, et Filii ✝, et Spiritus ✝ Sancti. ℟. Amen.

OREMUS.

Deus, invictae virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator: qui adversae dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis saevitiam superas: qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine trementes et supplices deprecamur, ac petimus ut hanc creaturam salis et aquae dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuae rore sanctifices, ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritùs abigatur; terrorque ve-

nenosi serpentis procul pellatur; et praesentia sancti Spiritûs nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum, etc. in unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus, etc.

Post benedictionem aquae Sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Missam, aspergit altare; deinde se, et ministros ac populum: prout in Missali praescribitur et infra sub titulo: De processionibus, *juxta ritum Provinciae habetur.*

Postea Christi fideles possunt de ipsa aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre ad aspergendos aegros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et saepius aspergi possint.

In festo S. Stephani.

BENEDICTIO AVENAE

Habetur etiam prolixè in Sacerdotali Romano, et in hac Provincia antiquitûs die Festo S. Stephani observatur, fiat hoc modo:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, creator coeli et terrae, Rex regum, et Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes et orantes ad te, qui omnia de nihilo creasti, et hoc pabulum cum caeteris creaturis ad usum animalium, et ad eorum nutrimentum fecisti: quae quidem animalia in adjutorium et sustentationem hominum creasti: quique hodierna die petitionem S. Stephani protomartyris adimplesti: te humiliter deprecamur, ut hanc creaturam avenae, quam ad usum animalium, et sanitatem eorum fecisti, per invocationem sancti nominis tui et intercessionem beatae Mariae semper virginis genitricis tuae, et per merita beati Stephani protomartyris tui, cujus festum hodie recolimus; et per preces omnium Sanctorum bene ✝ dicere, et sanctificare ✝ digneris ut animalia quae ex ea gustaverint, sanitatem

integraliter recipiant, per te Jesu Christe, cujus solo verbo omnia restaurantur, salvator mundi, rex aeternae gloriae. Qui in Trinitate perfecta cum Patre et sancto Spiritu vivis et regnas, per omnia saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Deus, qui temporibus Eliae prophetae, coelum a nubibus restringendo clausisti, et rursum aperiendo te mirabilem ostendisti: exaudi preces plebis tuae per unigenitum tuum, quem consubstantialem et coaequalem tibi in divinitate credimus, et per Spiritum sanctum Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, et per merita beatissimi Protomartyris Stephani, cujus hodie festum celebramus, ut bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices hanc avenam; ut quaecunque animalia ex ea gustaverint, adjutorium sanitatis et incolumitatis recipiant per te Domine sancte Pater, qui cum Filio, et Spiritu sancto, vivis et regnas, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Et benedictio Dei † Patris omnipotentis, et Filii †, et Spiritus † Sancti, descendat super hanc creaturam avenae. ℟. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

In festo S. Joannis Evang.

BENEDICTIO VINI.

In Festo S. Joannis Evangelistae, post Missam majorem, ante Evang. In principio, *quod tunc omittitur per Sacerdotem celebrantem, retentis omnibus paramentis, vinum a populo oblatum, nec non alius potus in memoriam et honorem S. Joannis, qui venenum innocuè sumpsit, benedicitur hoc modo:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Joannem,
℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia

per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. ℟. Deo gratias.

OREMUS.

Per istos sermones sancti Evangelii, et per merita sancti Joannis Apostoli et Evangelistae, bene † dicere, et conse- † crare digneris Domine Deus, dextera tua, hunc calicem vini, et cujuslibet potùs: et praesta, ut omnes in te credentes, et de calice isto bibentes, benedicantur et protegantur. Et sicut beatus Joannes de calice bibens venenum, illaesus omnino permansit; ita isti hodie in amore tuo, et beati Joannis, de calice isto bibentes, meritis ipsius ab omni aegritudine veneni, et noxiis quibusvis absolvantur, et corpore ac anima se offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Bene † dic Domine, hanc creaturam potùs, ut sit remedium salutare omnibus sumentibus: et praesta, per invocationem sancti nominis tui: ut quicunque ex eo gustaverint, tam animae quam corporis sanitatem, te donante percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Concludendo.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti, descendat super hanc creaturam vini, et cujuslibet potûs, et maneat semper.

Postremo aqua benedicta aspergat.

Quod si benedictio ista fiat privatim extra Missam, Sacerdos superpelliceo et stola indutus, eam super altare tectum conficiat, secundum eandem formulam incipiendo: Adjutorium nostrum, etc. *usque ad finem. Nisi quod in locum Evangelii:* In principio erat verbum, etc. *substituat Evangelium sequens.*

In illo tempore: nuptiae factae sunt in Cana Galileae et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: vinum non habent. Et dicit ei Jesus: quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris, quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae, secundum purificationem judaeorum capientes singulae metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit

eis Jesus: haurite nunc et ferte architriclino. Et tulerunt Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galileae, et manifestavit gloriam suam. Et crediderunt in eum discipuli ejus.

In festo Epiphaniae.

BENEDICTIO AURI, MYRRHÆ ET THURIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Bene ✝ dico te creatura auri, thuris, et myrrhae: per Deum Patrem omnipotentem, per Jesum Christum filium ejus

unicum, et Spiritum Paraclitum: per omnia sancta ac ineffabilia nomina Dei: et per mysterium hujus sanctae diei: quae eadem munera in titulum regalem, et magnificentiam sacerdotalem, ac sepulturam Dominicam, tres Magi obtulerunt. Bene ✝ dico te, ut has virtutes in te suscipias, et in te semper teneas: ut quicunque te creaturam auri, thuris, et myrrhae, ob reverentiam divinae majestatis, et ob corporis ac animae suae salutem circa se gestaverint, aut quocunque recto modo habuerint, divina eos protegente potentia, ab omni periculo corporis et animae sint tuti, ubique mortem subitaneam, et morbos omnes effugiant, hostiumque visibilium et invisibilium insidias evadant: et omne desiderium eorum prosperetur: et absolvat eos Dominus ab omnibus tristitiis, veneficiis, et cunctis adversitatibus. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino,
℟. Deo gratias.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii †, et Spiritùs † Sancti, descendat super nos, et super has creaturas, et maneat semper. Amen.

Postremo aqua benedicta aspergat.

BENEDICTIO CANDELARUM
extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, benedic † candelas istas supplicationibus nostris, infunde eis Domine per virtutem sanctae crucis † benedictionem coelestem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuisti: talemque benedictionem signaculo sanctae crucis † accipiant, ut quibuscunque locis accensae, sive positae fuerint, discedant prin.

cipes tenebrarum, et contremiscant, et fugiant pavidi cum omnibus ministris suis ab habitationibus illis, nec praesumant amplius inquietare, aut molestare servientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis et regnas, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postmodum aspergantur aqua benedicta.

In festo S. Agathae.

BENEDICTIO PANIS ET AQUÆ.

Sacerdos celebrans Missam de festo in Canone majori, antequam proferat illa verba: Per quem haec omnia Domine semper bona creas: *conversus ad populum, panem et aquam tenentem dicit: Psal. 66.*

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Laetentur et exultent gentes, quoniam judicas populos in aequitate: et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, etc.

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. *Pater noster, etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Ora pro nobis beata Agatha,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es panis vivus, qui de coelo descendisti, bene † dic et sanctifica † hos panes, et aquam, in honorem beatae Agathae virginis et martyris, ut ubicunque contra ignem comburentem missa, vel posita fuerint, illico ignis evanescat, et penitus extinguatur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

Benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii †, et Spiritûs † Sancti, per intercessionem beatae Agathae virginis et martyris tuae, descendat super has creaturas et maneat semper. Amen.

Postea aspergat ea aqua benedicta, et reversus ad altare, prosequitur in Canone, ubi desierat: Per quem haec omnia Domine semper bona creas, etc. *usque ad finem Missae. Hoc pane vescantur eodem die initio comestionis, in domo constituti. Aquam vero servent, ut tempore necessitatis in ignem injiciatur.*

BENEDICTIO DOMORUM
in Sabbatho sancto Paschae.

Parochus, seu alius Sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro deferente vas aquae, ex benedictione fontium ante perfusionem Chrismatis acceptae, visitat domos suae Parochiae, aspergens eas eadem aqua benedicta. Ingrediens domum, dicit: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergens loca praecipua domûs, et eos qui habitant in ea, dicit: Antiphonam:

Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, Alleluja.

Et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt. Alleluja, Alleluja.

***Psalmus.* Confitemini Domino quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordia ejus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, etc.**

Repetitur Antiph. Vidi aquam, etc. *Deinde dicit:*

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, Alleluja.
℟. Et salutare tuum da nobis, Alleluja.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotentes aeterne Deus, et sicut domos hebraeorum in exitu de Aegypto agni sanguine linitas (quod Pascha nostrum in quo immolatus est Christus, figurabat) ab Angelo percutiente custodisti: ita mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ALIA BENEDICTIO DOMORUM,

quovis tempore facienda, cum aspersione aquæ benedictæ.

Parochus, seu alii Sacerdotes, volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum, di-

cant: Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea. *Deinde loca aspergendo, dicant Antiph.*

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, etc.

Et repetitur Antiphona: Asperges me Domine, etc.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos Domine Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

ALIA BENEDICTIO DOMUS NOVÆ.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Te Deum Patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et habitatoribus ejus, ac rebus, ut eam benedicere †, et sanctificare †, ac bonis omnibus ampliare digneris: tribue eis Domine de rore coeli abundantiam, et de pinguedine terrae vitae substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuae miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere †, et sanctificare † digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac et Jacob: et intra parietes domus istius, Angeli tuae lucis inhabitent, eamque et ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO LOCI.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Benedic † Domine Deus omnipotens locum istum, *vel* domum istam, ut sit in eo, *vel* in ea, sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas, et mansvetudo, plenitudo legis, et gratiarum actio Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto; et haec benedictio maneat super hunc locum, et super habitantes in eo, nunc et semper. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO THALAMI.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Benedic ✝ Domine, thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo, in tua pace consistant, et in tua voluntate permaneant, et senescant, et multiplicentur in longitudine dierum, et ad regna coelorum perveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea aspergatur thalamus aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Propitiare Domine supplicationibus nostris, et benedic ✝ navem istam dextera tua sancta, et omnes, qui in ea vehentur, sicut dignatus es benedicere arcam

Nòé ambulantem in diluvio: porrige eis Domine dexteram tuam, sicut porrexisti beato Petro ambulanti supra mare; et mitte sanctum Angelum tuum de coelis, qui liberet, et custodiat eam semper a periculis universis, cum omnibus, quae in ea erunt, et famulos tuos repulsis adversitatibus portu semper optabili, cursuque tranquillo tuearis, transactisque ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis et regnas, etc.

Aspergat navim aqua benedicta.

BENEDICTIO COMMUNIS SUPER **fruges et vineas.**

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Oramus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturae tuae, quas aeris et pluviae temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuae imbre perfundas, et fructus terrae tuae usque ad maturitatem perducas. Tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut a fertilitate terrae esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriae tuae. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat illas aqua benedicta.

BENEDICTIO PEREGRINORUM
ad loca sancta prodeuntium.

Peregrini ad loca sancta profecturi, antequam discedant juxta veteris Ecclesiae institutum, deberent accipere Patentes, seu commendatitias litteras a suo Ordinario, seu Parocho. Quibus obtentis, et rebus suis dispositis, facta peccatorum suorum Confessione, et audita Missa, in qua dicitur Oratio pro peregrinantibus, sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt. Expleta Missa, Sacerdos super eos genuflexos, dicit sequentes preces:

Antiph: In viam pacis.

Canticum Zachariae.

Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae.

Et erexit cornu salutis nobis: in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum: qui a saeculo sunt prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris: et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum: daturum se nobis.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati: serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso: omnibus diebus nostris.

Et tu puer propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiae Dei nostri: in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.

Repetitur Antiph. In viam pacis et prosperitatis, dirigat vos omnipotens et misericors Dominus, et Angelus Raphàël comitetur vobiscum in via, ut cum pace, salute, et gaudio, revertatis ad propria.

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. *Pater noster, etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos,
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto,
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie,
℟. Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum.

℣. Vias tuas Domine, demonstra nobis,
℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viae nostrae,
℟. Ad custodiendas justificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa,
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te,
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti: tribue eis quaesumus iter prosperum, tempusque tranquillum, ut Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergunt locum, ac demum ad aeternae salutis portum feliciter valeant pervenire.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldaeorum eductum, per omnes suae peregrinationis vias illaesum custodisti: quaesumus, ut hos famulos tuos custodire digneris. Esto eis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in aestu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate praesidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut Te duce quo tendunt, prospere perveniant, et demum incolumes ad propria revertantur.

Adesto, quaesumus Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae, et vitae hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio.

Praesta quaesumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis praecursoris hortamenta sectando, ad eum, quem praedixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

Exaudi Domine, preces nostras, et iter famulorum tuorum propitius comitare, atque misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus a cunctis adversitatibus tua opitulatione defensi, gratiarum tibi referant actionem. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Pax et benedictio ✝ Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, descendat super vos, et maneat semper. Amen.

Deinde aspergantur aqua benedicta.

Quod si unus fuerit peregrinaturus, omnia dicuntur in numero singulari; ac si Sacerdos ipse, qui benedicit, fuerit socius peregrinationis, dicat in persona prima numeri pluralis, quatenus congruere videbitur.

BENEDICTIO PEREGRINORUM

post reditum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Psalmus 127.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domûs tuae.

Filii tui sicut novellae olivarum: in circuitu mensae tuae.

Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiph. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. *Pater noster. secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Benedicti qui veniunt in nomine Domini,

℟. Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram.
℣. Respice Domine in servos tuos, et in opera tua,
℟. Et dirige eos in viam mandatorum tuorum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Largire, quaesumus Domine, famulis tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant.

Omnipotens sempiterne Deus, nostrorum temporum, vitaeque dispositor, famulis tuis continuae tranquillitatis largire subsidium: ut quos incolumes propriis laboribus reddidisti, tua facias protectione securos.

Deus humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, praetende societati nostrae gratiam tuam, ut per

eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Deinde aspergantur aqua benedicta a Sacerdote dicente:

Pax, et benedictio † Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritûs sancti descendat super vos, et maneat semper. Amen.

BENEDICTIO ESCULENTORUM PRAESERTIM IN PASCHA.

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS.

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui per famulum tuum Mojsen, in liberatione populi tui de Aegypto, agnum occidi jussisti, in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, et utrosque postes domorum de sanguine ejusdem

agni perungi praecepisti: ita benedicere †, et sanctificare † digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere desideramus, per resurrectionem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit, etc.

℟. Amen.

Et mox aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO OVORUM.

Adjutorium nostrum in nomine, etc. *ut supra, pag.* 354.

OREMUS.

Subveniat, quaesumus Domine tuae benedictionis † gratia, huic ovorum creaturae, ut cibus salubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actione sumentibus, ob resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit et regnat, in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS.

Adjutorium nostrum in nomine, etc. *ut supra, pag.* 354.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, panis Angelorum, panis vivus aeternae vitae, benedicere † dignare panem istum, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes ex eo gustantes, inde corporis et animae percipiant sanitatem. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Et aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVORUM FRUCTUUM.

℣. Adjutorium, etc. ℟. Qui fecit, etc.
℣. Domine exaudi, etc. ℟. Et clamor, etc.
℣. Dom. vob. etc.

OREMUS.

Benedic † Domine hos novos fructus N. et praesta: ut qui ex eis in tuo sancto nomine vescentur, corporis et animae salute potiantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIO AD QUODCUNQUE
comestibile et potabile.

℣. Adjutorium, etc. ℣. Domine exaudi, etc. ℣. Dom. vob. etc.

OREMUS.

Benedic † Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano: et praesta, per invocationem sancti nominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint, corporis sanitatem, et animae tutelam percipiant Per Christum, etc.
℟. Amen.
Aspergat id aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

OREMUS.

Rogamus te Domine sancte Pater omnipotens, aeterne Deus, ut digneris benedicere † hoc signum Crucis tuae, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei, profectus bonorum

operum, redemptio animarum; sit solamen, et protectio, ac tutela contra saeva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia oratio ad idem.

Benedic † Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a daemonum potestate, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in praevaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem. *Hic aspergat aqua benedicta.* Sanctificetur hoc signum Crucis, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, ut orantes inclinantesque se propter Dominum ante istam Crucem, inveniant corporis et animae sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem devotè adoret et osculetur, et idem faciunt quicunque voluerint.

BENEDICTIO IMAGINUM JESU CHRISTI

Domini nostri, B. M. V. et aliorum Sanctorum.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines, *sive* effigies sculpi, *aut* pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus et sanctitatem, ad imitandum memoriae oculis meditemur: hanc quaesumus imaginem, *seu* sculpturam in honorem *vel* memoriam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, *(vel* Beatissimae Virginis Mariae, Matris Domini nostri Jesu Christi, *vel* B. N. Apostoli tui, *vel* Martyris, *vel* Confessoris, *aut* Pontificis, *aut* Virginis) adaptatam, benedicere ✝, et sanctificare ✝ digneris: et praesta, ut quicunque coram illa, unigenitum Filium tuum, (*vel* Beatissimam Virginem, *vel* gloriosum Apostolum, *sive* Martyrem, *sive* Confessorem, aut Virginem), suppliciter colere, et honorare studuerit; illius meritis et obtentû, a te gratiam in praesenti, et aeternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO NUMISMATUM.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum imagines et effigies sculpi et formari non reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actibus et sanctitate ad imitandum incitemur: quaesumus clementiam tuam, ut numismata haec in honorem et memoriam unigeniti Filii tui D. N. Jesu Christi, et Beatissimae Virginis Mariae Matris ejusdem D. N. Jesu Christi, atque diversorum sanctorum tuorum fusa seu facta purifi ✝ care, bene ✝ dicere et sanctificare digneris, et praesta, ut quicunque eadem ad honorem tuum reverenter et devote secum portaverit, atque coram illis, aut uno ex his unigenitum Filium tum, aut Beatissimam Matrem ejus, aut aliquem ex sanctis tuis, suppliciter colere et honorare studuerit, illius meritis et obtentu à te gratiam in praesenti et aeternam gloriam obtineat in futuro. Per eundem Christum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, largitor bonorum omnium, atque salus et vita animarum nostrarum, te suppliciter exoramus ac petimus, ut haec Numismata quibus Domini nostri Jesu Christi effigies, (*seu* ejusdem Redemptoris nostri in cruce pendentis signum, *seu* imago Virginis Deiparae, *aut* Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et Virginum tuarum) figura impressa est, bene ✝ dicere et sancti ✝ ficare digneris: ut qui unum aut plura ex his secum devotè gestaverit, aut domi suae reverenter asservaverit, per merita sanctorum tuorum, quorum effigies in his expressae sunt ab omnibus diaboli insidiis omnique morbo contagioso praeservetur, atque corporis et animae sanitatem continuam consequatur. Per eundem Dominum, etc.

OREMUS.

Benedic ✝ Domine Numismata haec, ut sint salutare remedium, et devotionis augmentum omnibus ea devotè veneran-

tibus. Et praesta per invocationem tui S. nominis et sanctorum tuorum, quorum effigies haec praeseferunt, ut quisquis eadem secum portaverit, aut domi suae asservaverit, bene † dictionem, et defensionem tuam accipiat, atque contra omnes morbos atque universas tentationes diaboli tutamen penes se habeat. Unde ego Sacerdos tuus in nomine tuo et in nomine Sanctorum tuorum haec Numismata puri † fico, sancti † fico et bene† dico, ut sint defensio creaturis tuis, et ignis ardens daemonum, atque destructio omnium maleficiorum, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritûs † sancti. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO ROSARIORUM
vel coronarum.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter nimiam charitatem, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum pro redem-

ptione nostra de coelis in terram descendere, et de beatissimae virginis Mariae utero, Angelo nunciante carnem suscipere voluisti, ut nos eriperes de potestate diaboli: obsecramus immensam clementiam tuam, ut haec Rosaria *(vel* Coronas), in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui, ab ecclesia tua fideli dicata bene † dicas et sancti † fices, eisque tantam infundas virtutem Spiritûs sancti, ut quicunque ea secum honestè portaverit, atque in domo sua reverenter tenuerit, et devotè usus fuerit, ab omni hoste visibili et invisibili semper, et ubique in hoc saeculo liberetur, et in exitu suo à beatissima virgine Dei Genitrice, tibi plenus bonis operibus, praesentari mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, descendat super haec Rosaria *(vel* Coronas), et maneat semper. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO SCAPULARIS SEU **habitus.**

Sit accensa Candela.

℣. Adjutorium nostrum in nomine, etc.

OREMUS.

Suppliciter te Domine oramus, ut super hoc scapulare, (*vel* hunc habitum) servo tuo imponendum, bene † dictio tua benigna descendat, ut sit benedictum, (*vel* benedictus), atque Divina virtute procul pellantur hostium nostrorum visibilium et invisibilium tella nequissima. Amen.

OREMUS.

Caput omnium fidelium Deus, et humani generis salvator, hoc scapulare, (*vel* hunc habitum), quod (*vel* quem), propter tuum, tuaeque Genitricis Virginis Mariae de monte Carmelo amorem atque devotionem, Servus tuus est delaturus, dexterâ tuâ sancti † fica, et hoc, quod per illud, (*vel* per illum), mysticè datur intelligi, tua semper custodiâ, corpore et animo servetur, et ad remuneratio-

nem perpetuam cum Sanctis omnibus felicissime perducatur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Creator, conservator et salvator omnium, largitor humanae salutis Deus, et dator gratiae spiritualis, bene † dictionem tuam super hoc scapulare, *(vel* hunc habitum) immitte, ut qui illud *(vel* illum) gestaverit, coelesti virtute munitus, fidem integram, spem firmam, charitatem teneat, et a Te nunquam eum separari permittas. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO OLEI SIMPLICIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

EXORCISMUS.

Exorciso te creatura olei, per Deum Patrem † omnipotentem, qui fecit coe-

lum et terram, mare, et omnia, quae in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, et omnis incursus, omne phantasma sathanae eradicare, et effugare ab hac creatura Olei, ut fiat omnibus, qui eo usuri sunt, salus mentis et corporis, in nomine Dei Patris † omnipotentis, et Jesu † Christi Filii ejus Domini nostri, et Spiritûs sancti † paracliti, et in charitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, cui adstat exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale cognoscitur; dignare respicere, benedicere †, et sanctificare † hanc creaturam olei, quam ex olivarum succo eduxisti, et ex eo infirmos inungi mandasti, quatenus sani-

tate percepta, tibi Deo vivo et vero gratias agerent: praesta quaesumus, ut hi, qui hoc oleo, quod in tuo nomine benedicimus †, usi fuerint, ab omni languore, omnique infirmitate, atque cunctis insidiis inimici liberentur, et cunctae adversitates separentur a plasmate tuo, quod praetioso sanguine Filii tui redemisti, ut nunquam laedatur a morsu serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate, etc.

Aspergat Oleum aqua benedicta.

BENEDICTIO GENERALIS
ad quaecunque volueris.

Benedic † Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano, et praesta per invocationem sancti nominis tui, ut quicunque ex ea *(vel* eo) sumpserint, *(vel* usi fuerint) salutem animae, et corporis suscipiant sanitatem. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIONES AB EPISCOPIS VEL ALIIS FACULTATEM HABENTIBUS FACIENDAE.

BENEDICTIO SACERDOTALIUM indumentorum in genere.

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Mojsen famulum tuum, pontificalia, et sacerdotalia, seu levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris, et haec indumenta sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione, per nostrae humilitatis servitium, purificare †, benedicere †, et consecrare † digneris, ut Divinis cultibus, et sacris mysteriis apta et benedicta existant: his quoque sacris vestibus, Pontifices et Sacerdotes, seu

Levitae tui induti, ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti, et defensi esse mereantur; tuisque mysteriis aptè et condigne servire et inhaerere, atque in his tibi placitè et devotè perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

OREMUS.

Deus invictae virtutis triumphator, et omnium rerum creator, ac sanctificator, intende propitius preces nostras, et haec indumenta Leviticae, Sacerdotalis et Pontificalis gloriae ministris tuis fruenda, tuo ore proprio benedicere †, sanctificare †, et consecrare † digneris, omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos et tibi in eis devotè et laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum, etc.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui vestimenta Pontificibus, Sacerdotibus et Levitis, in usum tabernaculi foederis ne-

cessaria, Mojsen famulum tuum agere jussisti, eumque spiritu sapientiae ad id peragendum replevisti: haec vestimenta in usum, et cultum mysterii tui, benedicere †, sanctificare †, et consecrare † digneris, atque ministros Altaris tui, qui ea induerint septiformis spiritus gratià dignanter repleri, atque castitatis stola, beata facias cum bonorum fructu operum ministerii congruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

BENEDICTIO MAPPARUM SIVE **linteaminum altaris.**

℣. Adjutorium, etc. ℣. Dominus, etc.

OREMUS

Exaudi Domine preces nostras et haec linteamina sacri altaris usibus praeparata benedicere †, et sanctificare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Domine Deus omnipotens, qui Mojsen famulum tuum, ornamenta et linteamina, facere per quadraginta dies docuisti, quae etiam Maria texuit, et fecit in usum ministerii, et tabernaculi foederis: benedicere †, sanctificare †, et consecrare †, digneris haec linteamina ad tegendum, involvendumque altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO CORPORALIUM.

℣. Adjutorium, etc. ℣. Dom. vob. etc.

OREMUS.

Clementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quaesumus, ut hoc linteamen tuae propitiationis benedictione † sanctificetur, ad consecrandum super illud corpus et sanguinem Dei et Domini nostri Jesu

Christi Filii tui. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, benedicere †, sanctificare †, et consecrare † digneris linteamen istud, ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui. Qui tecum vivit et regnat, etc. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuae benedictionis infunde: ut per nostram benedictionem †, hoc linteamen sanctificetur, et corporis ac sanguinis Redemptoris nostri, novum sudarium Spiritûs sancti gratia efficiatur. Per eundem, etc. in unitate ejusdem Spiritûs sancti Deus, etc. ℟. Amen.

Et aspergit aqua benedicta.

BENEDICTIO TABERNACULI,

seu vasculi, pro Sacrosancta Eucharistia conservanda.

℣. Adjutorium nostrum, etc.
℣. Dominus vobiscum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur: ut vasculum hoc pro corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi, in eo condendo fabricatum, benedictionis ✝ tuae gratia dicare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO PALLARUM,

corporalium, et linteaminum sacrorum, post eorum ablutionem.

℣. Adjutorium nostrum, etc.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, innocentiae restitutor, qui per Mojsen famulum tuum praecepisti Sacerdotibus et Ministris, ut in sanctuario vestes ni-

tidae asservarentur, et maculatae mundarentur; ne quid inesset, quod tuae oculos offenderet majestatis, tibi has vestes tua benedictione consecratas, referimus mundas et nitidas, suppliciter deprecantes, ut eas in usum ministerii tui pristinum, placidus ac benignus reassumere digneris, quatenus sacrificium tibi acceptum, et nobis salutiferum, super eis afferre valeamus. Per Christum, etc.

Deinde aspergit, dicens:

Reconciliare et ad usum pristinum sacri ministerii renovare: In nomine Pa ✝ tris, et Fi ✝ lii, et Spitûs ✝ sancti. ℟. Amen.

RITUS BENEDICENDI
et imponendi primarium lapidem pro ecclesia ædificanda, servandus a Sacerdote facultatem habente ab Episcopo.

Ecclesiam ex Episcopi authoritate tantum, juxta Sacrorum Canonum Decreta aedificari fas est. Si vero Sacerdos ejus edificationis primarium lapidem benedicendi potestatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum servabit.

Pridie quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet esse Altare, figat ipse, vel alius Sacerdos. Sequenti vero die lapis in Ecclesiae fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis, benedicatur hoc modo.

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis, salem et aquam benedicit, nisi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione, ut supra, et interim dum cantatur a Clericis Antiphona cum Psalmo sequenti, aspergit locum, ubi crux posita est cum aqua benedicta.

Antiph. Signum salutis pone Domine Jesu Christe in loco isto, et non permittas introire Angelum percutientem.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea, exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.

Finito psalmo, Sacerdos versus ad locum per eum aspersum, dicit:

OREMUS.

Domine Deus, qui licet coelo et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur; locum hunc, quaesumus, Beatae Mariae semper virginis, et B. N. *(nominando Sanctum vel Sanctam, sub cujus titulo ac nomine, fundabitur ecclesia)*, omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et per infusionem gratiae tuae ab omni inquinamento purifica purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris: effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dominum nostrum, etc. in unitate Spiritûs sancti Deus, etc. ℟. Amen.

Postea stans benedicit primarium lapidem dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes.
℟. Hic factus est in caput anguli.
℣. Tu es Petrus,
℟. Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritûi sancto,
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper et in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Domine Jesu Christe Filii Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor et imago aeterni Patris, et vita aeterna, qui es lapis angularis de monte sine manibus abscissus, et immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma; et tu, qui es

principium et finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis quaesumus, principium, et incrementum, et consumatio ipsius operis, quod debet ad laudem et gloriam, tui nominis inchoari. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum crucis, dicens:

In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti. ℟. Amen.

Quo facto, dicit:

OREMUS.

Benedic † Domine creaturam istam lapidis, et praesta, per invocationem sancti tui nominis, ut quicunque ad hanc Ecclesiam aedificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, et animae medelam percipiant. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Postea dicantur Litaniae ordinariae sine Orationibus in fine positis, quibus dictis, pa-

rato caemento, et caementario assistente, Sacerdos inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam:

Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum; fundens oleum desuper, votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus 126.

Nisi Dominus aedificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: ecce haereditas Domini, filii merces, fructus ventris.

Sicut sagittae in manu potentis: ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.

Quo dicto, Sacerdos stans tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens:

In fide Jesu Christi, collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, ut vigeat vera fides hic, et timor Dei, fraternaque dilectio, et sit hic locus destinatus orationi et ad invocandum et laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia, etc. ℟. Amen.

Interim caementarius locat ipsum lapidem cum caemento, postea Sacerdos spargit super lapidem aquam benedictam, dicens: Asperges me Domine, etc. *Psal.* Miserere mei Deus, etc. *dicitur totus, cum* Gloria Patri. *Quo dicto, Sacerdos spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta: si vero non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiae designata. Et incipiens aspergere, inchoat Antiphonam Clero prosequente:*

O quam metuendus est locus iste! verè non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Psalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis, scientium me.

Ecce alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopum: hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: homo et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum: horum, qui fuerunt in ea.

Sicut laetantium omnium: habitatio est in te.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Antiphona. O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

Interim aspergendo procedit usque ad fundamenta aperta, seu designata, et repetita Antiphona, stans dicit:

Oremus. *Ministri:* Flectamus genua.
℟. Levate.

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae caeteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene † dicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Deus, qui ex omnium cohabitatione sanctorum, aeternum majestati tuae concedis habitaculum: da aedificationi tuae incrementa coelestia, ut quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum, ℟. Amen.

RITUS BENEDICENDI NOVAM ECCLESIAM seu Oratorium publicum, ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit.

Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum Sacrificium Missae ritè celebretur stola ac pluviali albi coloris indutus, aliquot Sacerdotibus et

Clericis adhibitis, praelata cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accensos, manè procedit ad primariam Ecclesiae vel Oratorii januam, ubi stans capite aperto, conversus ad eam, dicit absolutè Orationem.

Actiones nostras quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, et operatio, à te semper incipiat, et per te caepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde inchoat Antiphonam: Asperges me Domine, etc. *et Clerus alternatim dicit Psal.* Miserere mei Deus, *in fine* Gloria Patri, etc.

Interim circumdant exterius Ecclesiam (quae intus debet esse vacua et nuda, et pariter altaria nuda, excluso populo, donec absoluta sit benedictio), et Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad ejus dexteram se convertens parietes Ecclesiae in superiore parte, et in fundamentis, cum aqua benedicta aspergit dicens: Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor.

Reversi ad locum, unde Processio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos stans ut prius, versus Ecclesiam, dicit:

Oremus, *et Ministri:* **Flectamus genua. ℟. Levate.**

ORATIO.

Domine Deus, qui licet coelo et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris; ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc quaesumus beatae Mariae semper Virginis, et Beati N. omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuae intuitu visita, et per infusionem gratiae tuae, ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dominum nostrum, etc.

Qua finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad altare majus procedunt, Litanias de Omnibus SS. decantantes.

Ubi dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris. Te rogamus audi nos.

Surgit Sacerdos, et intelligibili voce dicit:

Ut hanc Ecclesiam, et Altare, ad honorem tuum, et nomen sancti tui N.

purgare, et benedicere ✝ digneris. Te rogamus audi nos.

Cum dicit, benedicere, *manu dextra benedicit Ecclesiam, et altare; deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniae; et Cantores prosequuntur:*

Ut nos exaudire digneris. Te rogamus audi nos. Filii Dei. Te rogamus audi nos.

Dicto ultimo Kyrie elejson. *Sacerdos stans dicit:*

Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

Praeveniat nos, quaesumus Domine, misericordia tua, et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Tum distans ab altari congruenti spatio genuflexus, et se signans dicit:

Deus in adjutorium meum intende. *Et statim surgit, Clero respondente:* Domine ad adjuvandum me festina. *Ipse vero stans dicit:* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. *Chorus respondet:*

Sicut erat in principio, etc. *Postea Sacerdos dicit:* Oremus. *Ministri:* Flectamus genua. ℟. Levate.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae caeteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, à te fieri credatur: quaesumus immensam clementiam tuam ut quidquid modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene ✝ dicas: sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum, etc.

His dictis inchoat Antiphonam: Benedic Domine domum istam, nomini tuo aedificatam, *cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet:*

Psalmus 119.

Ad Dominum cum tribularer clamavi: et exaudivit me.

Domine libera animam meam à labiis iniquis: et a lingua dolosa.

Quid detur tibi aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam.

Sagittae potentis acutae: cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.

Psalmus 120.

Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino: qui fecit coelum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui custodit Israel.

Dominus custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodiat te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum: ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 121.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quae aedificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: testimonium Isràël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio; sedes super domum David.

Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem: et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos: loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri: quaesivi bona tibi.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etc.

Antiph: Benedic Domine domum istam nomini tuo aedificatam.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori et inferiori, inchoans aspersionem a parte Evangelii, dicens: Asperges me Domine, etc. *tum ad Altare reversus, dicit:*

Oremus. Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus, auxilium tuae misericordiae sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. etc.

His peractis dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Ecclesia vero quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

RITUS RECONCILIANDI ECCLESIAM violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata.

Ecclesiae violatae reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum, fiat hoc modo:

Altare Ecclesiae omnino nudetur, provideaturque, ut Ecclesia possit liberè circumiri, tam exterius quam interius, si fieri potest, paretur vasculum cum aqua benedicta, et aspergillum de herba hyssopi factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus, et Clericis, procedit ad primariam Ecclesiae portam, ubi stans Antiphonam incipit, dicens, Clero prosequente:

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalmus:* Miserere mei Deus, *totus cum* Gloria Patri.

Quo finito, Antiphona repetitur, interim dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extrinsecus Ecclesiam, et Coemeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiae, ac ad terram Coemeterii, praesertim ad loca contaminata. Quo facto, redit ad locum, ubi incepit aspergere, et stans dicit:

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam prae caeteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quaesumus immen-

sam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites; et quidquid benedicturi sumus, bene † dicas, sitque ad nostrae humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga daemonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, et ingreditur Ecclesiam cum Clero cantando eas; acceditque ante altare majus, coram quo genuflectit, cumque dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam, etc. ℟. Te rogamus audi nos. *Sacerdos surgit et clara voce dicit:*

Ut hanc Ecclesiam, altare hoc, et coemeterium, purgare † et reconciliare digneris. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, rursus genuflectit, et Litaniae perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum altare, dicit:

Oremus, *et Ministri.* **Flectamus genua. ℟. Levate.**

Praeveniat nos, quaesumus Domine, misericordia tua, et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuae propitiationis anticipet. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, et se signo crucis muniens, clara voce dicit:

Deus in adjutorium meum intende; *tum surgit, et chorus, seu adstantes Clerici respondent:* Domine ad adjuvandum me festina; *et Sacerdos stans dicit:* Gloria Patri, etc. ℟. Sicut erat in principio, etc.

Quo dicto Sacerdos inchoat, Clero prosequente, Antiphonam.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Psalmus.

In ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Isràél. *Repetitur Antiphona.*
Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu. *Repetitur Antiphona.*
Principes Juda, duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali. *Repet. Ant.*
Manda Deus virtuti tuae: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. *Repet. Ant.*

A templo sancto tuo in Jerusalem: tibi offerent reges munera. *Repet. Ant.*

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento. *Repet. Ant.*

Dissipa gentes, quae bella volunt: venient legati ex Aegypto; Aethiopia praeveniet manus ejus Deo. *Repet. Ant.*

Regna terrae cantate Deo: psallite Domino. *Repet. Ant.*

Psallite Deo, qui ascendit super coelum coeli: ad orientem. *Repet. Ant.*

Ecce dabit voci suae vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus. *Repet. Ant.*

Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Isràél, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suae: benedictus Deus. *Et non dicitur:* Gloria Patri, *sed Antiphon. repetitur.*

Interim dum Antiphona et Psalmus praedicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo: aspergit etiam specialiter loca contaminata; quo facto, stans in presbyterio versus ad altare, dicit:

Deus, qui in omni loco dominationis tuae, clemens, et benignus purificator assistis: exaudi nos, quaesumus, et concede, ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio, et tui muneris beneficia, universitas fidelium, quae supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Missa de die occurrenti.

Simplex Sacerdos, tantum ex Privilegio Sedis Apostolicae potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare. Et tunc utatur ritu in Pontificali praescripto. Procedatque indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, adhibitis secum aliis Presbyteris, et Clericis superpelliceis indutis, cum aqua ab Episcopo ad hunc usum ritè benedicta.

RITUS BENEDICENDI NOVUM CŒMETERIUM, per Sacerdotem ab Episcopo delegatum.

Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio Coemeterii benedicendi lignea Crux, alta ad staturam hominis, et ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus, altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die mane Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, et plu-

viali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus et Clericis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquae benedictae, aspergillum, et thuribulum cum incensi navicula, et hoc Rituali libro, et tribus candelis cereis, procedit ad Coemeterium benedicendum, ante Crucem in medio positam, et affiguntur, et accenduntur tres candelae super ligneum paxillum, et Sacerdos ante Crucem et candelas stans discooperto capite, dicit:

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis fides credentium; respice propitius, ad nostrae servitutis officium, et ad introitum nostrum, purgetur †, benedicatur †, et sanctificetur † hoc Coemeterium, ut humana corpora hic post vitae cursum quiescentia, in magna judicii die, simul cum felicibus animabus, mereantur adipisci vitae perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis, dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, caeteris respondentibus; et cum dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. Te rogamus audi nos. *Sacerdos surgit, et clara voce dicit, producens manu signum Crucis:*

Ut hoc Coemeterium purgare, et benedicere † digneris. Te rogamus, etc.

Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, et Litaniae perficiuntur.

Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta, dicens Antiphonam: Asperges me Domine, etc. *Psal.* Miserere mei Deus, etc. *dicitur totus ab adstantibus, cum* Gloria Patri, etc. *quo dicto, repetitur Antiph. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit et perambulat totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta; quo facto, redit ante Crucem, et ad ipsam respiciens, dicit:*

OREMUS.

Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis redemptor, cunctarumque creaturarum, visibilium et invisibilium perfectus dispositor: te supplici voce, ac puro corde expocismus, ut hoc Coemeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent, post curricula hujus vitae labentia, purgare †, benedicere †, et sanctificare † digneris: quique remissionem omnium peccatorum, per tuam magnam misericordiam in te confidentibus prae-

stitisti, corporibus quoque eorum in hoc Coemeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli expectantibus, consolationem perpetuam largiter impertire. Per Christum, etc. ℟. Amen.

Tum figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem et aspergens aqua benedicta, redit cum ministris in Sacristiam.

ORDO RECONCILIANDI CŒMETERIUM

violatum, sive Ecclesiæ contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta.

Mane diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos, si ab Episcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus, et Clericis indutis superpelliceis, in Sacristia, aut alio decenti loco, vestitus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, accedit ad medium Coemeterii, Clerico vasculum aquae benedictae, et aspergillum deferente, et ibi super tapete genuflectit una cum ministris; et Cantores aliique omnes genibus flexis, dicunt Litanias; in quibus cum dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. Te rogamus audi nos: *Sacerdos surgit, et manu dextra producens signum Crucis super Coemeterium, clara voce dicit:*

Ut hoc Coemeterium reconciliare ✝, et sanctificare ✝ digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et Sacerdos, accepto aspergillo cum aqua benedicta, inchoat Antiphonam:

Asperges me Domine hyssopo *Clero prosequente*, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei Deus, etc. *dicitur totus, sine* Gloria Patri, *in fine repetitur Antiph.* Asperges, etc.

Dum haec dicuntur, Sacerdos circuit totum Coemeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta, praesertim in loco, ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniae dictae fuerunt, et ibi stans dicit:

Oremus. *et Ministri.* Flectamus genua. ℟. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti, quaesumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim Domine, figu-

lus noster, tu quietis nostrae ager, tu agri hujus pretium, tu dedisti etiam, et suscepisti: tu de pretio tuo vivifici sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostrae clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuae justissimae severitatis abscondens, post miserationem tuae piae redemptionis adesto exauditor, et effector nostrae reconciliationis: hocque Coemeterium peregrinorum tuorum coelestis patriae incolatum expectantium benignus purifica, et reconcilia, et hic tumulatorum et tumulandorum corpora, de potentia et pietate tuae resurrectionis, ad gloriam incorruptionis, non damnans, sed glorificans, resuscita. Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

CASUS,
in quibus Ecclesiæ, Cœmeteria, et Altaria consecrari, aut reconciliari debent.

Quaelibet Ecclesia de novo constructa, debet consecrari, quae licet sit consecrata, tribus casibus indiget consecratione.

1. Si nescitur, vel dubitatur, an fuerit consecrata, nec apparet aliqua scriptura, munimentum, seu alia quaevis probatio: tali vero casu sufficit unius testis de visu vel auditis testimonium, quando quidem non agitur de praejuditio alicujus.

2. Si Ecclesia exusta, parietes sint combusti, vel in interiori parte Ecclesiae notabiliter decrustati in toto, vel in parte majori; quia consecratio Ecclesiae in interiori parte consistit, ubi linitio et cruces fiunt. Si autem solum tectum comburatur, non est consecranda.

3. Si parietes in toto, vel in parte majori corruerint, ita quod denuo oporteat eos simul reficere, etiam ex lapidibus ejusdem: secus, si corruerit solum tectum.

Porro Ecclesia consecrata, quinque casibus polluitur, indigens reconciliatione, et non consecratione.

1. Propter homicidium in ea perpetratum, etiam sine sanguine.

2. Propter violentam et injuriosam sanguinis humani effusionem.

3. Propter commissum in ea adulterium, vel quamlibet seminis humani effusionem voluntariam.

4. Si in ea sepeliatur excommunicatus haereticus vel paganus, seu infidelis. Quo casu, talium corpora exhumanda, et projicienda sunt, si discerni possunt ab aliis.

5. Si Ecclesia (et idem de altari ac Coemeterio) ab Episcopo publice excommunicato consecretur, vel etiam reconcilietur, seu benedicatur: quia ante reconciliationem, nec celebrari, nec sepeliri ibi aliquis debet. Quod in omnibus casibus supra dictis intelligendum, nisi in casibus a jure expressis.

Coemeterium novum est consecrandum, consecratum vero iisdem modis quibus Ecclesia violatur, et reconciliatur. Si dubitatur esse consecratum, idem fit, quod circa Ecclesiam, de cujus consecratione dubitatur: debet enim consecrari. Porro violata Ecclesia, censetur etiam violatum esse Coemeterium, si Ecclesiae est contiguum, alias secus.

Si autem Coemeterium est violatum, non ideo Ecclesia est execrata; ne minus dignum videatur trahere magis dignum.

Quod si duo Coemeteria sint contigua, intercedente tamen pariete, uno ex illis polluto, aliud non censetur esse pollutum, etiamsi porta esset in pariete, per quam accessus esset ab uno ad aliud. Quocunque autem modo sit pollutum Coemeterium, nemo sepeliri in eo debet, antequam reconcilietur.

Et quoties reconciliandum erit ob sepultum in eo haereticum aut infidelem, prius corpus exhumandum est, et projiciendum si discerni potest, uti de Ecclesia dictum est. Quando Ecclesia vel Coemeterium occulte polluitur, et pollutio non devenit ad notitiam hominum, non est opus reconciliatione. Polluens tamen Ecclesiam secreto, tenetur ad gravem poenitentiam, et est casus Episcopalis, ratione sacrilegii.

Altare est duplex. Unum scilicet stabile et fixum, alterum mobile seu portatile, quod et viaticum appellatur. Utrumque consecratur per Episcopum. Portatilis usus est in defectu non consecratorum, vel non reconciliatorum altarium stabilium, super quo tamen in Ecclesia non consecrata, celebrare non licet absque licentia Episcopi. Quoties vero Ecclesia execratur, seu polluitur, toties etiam altare stabile consecratum in ea existens polluitur, et e contra; et in tali altari sic polluto, celebrari non debet, donec reconcilietur. Altare autem reconsecrari debet in casu fractionis, vel destructionis, aut motionis sigilli altaris portatilis, aut tabulae seu mensae lapidis violatae, vel effractae, aut destructae: de quorum aliquo ex praemissis, si dubitet, aut non sit resolutus Sacerdos, consulere debet Episcopum, aut ejus Vicarium.

De his quæ interdicti tempore prohibentur.

Durante interdicto, Divina Officia non fiant in Ecclesiis, nisi cum conditionibus, et in certis privilegiatis diebus Chrisma consecratur. Nulla vero Sacramenta Ecclesiastica administrantur, nisi Baptismus, Confirmatio, et Poenitentia, *omnibus indifferenter;* Eucharistia *infirmis, et in periculo mortis constitutis tantum. Matrimonia sine Ecclesiastica solemnitate contrahuntur. Decedentes laici in eisdem locis, ecclesiastica carent sepultura; Clerici, ea quae sunt Ordinis, exercere prohibentur, nisi in casibus a jure expressis. Vide Bullam Provincialem,* lib. 4 Constit. Provinc. *titulo,* de Privileg.

DE PROCESSIONIBUS.

Publicae sacraeque Processiones, seu Supplicationes, quibus ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto, Catholica Ecclesia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum, uti consvevit, qua par est religione, celebrari debent: continent enim magna ac divina mysteria, ac salutares christianae pietatis fructus, eas pie exequentes, a Deo consequuntur; de quibus fideles praemonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est.

Videant inprimis Sacerdotes, aliique Ecclesiastici Ordinis, ut in his Processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quae piis et religiosis hujusmodi actionibus maximè debetur.

Omnes decenti habitu, superpelliceis, vel aliis sacris vestibus sine galeris, nisi pluvia cogente, induti, graviter, modeste, ac devote, bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu populum etiam ad pie devoteque precandum invitent.

Laici a Clericis, feminae a viris, separatae, orantes prosequantur.

Praeferatur Crux, et ubi fuerit consvetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abusum, secumve esculenta et poculenta deferendi in sacris Processionibus, agrisque lustrandis, et suburbanis Ecclesiis visitandis, tollere Parochi studeant: ac fideles praesertim die Dominica, quae proxime Rogationes antecedit, quam haec dedeceat corruptela, saepius admoneant.

Processiones fieri debent, deinde Missa solemniter celebrari: nisi aliter ob gravem causam, interdum Ordinario, vel Clero videatur.

Processiones autem quaedam sunt ordinariae, quae fiunt certis diebus per annum, ut in festo Purificationis Beatae Mariae semper Virginis, et in Dominica Palmarum, et in Litaniis majoribus in festo S. Marci, et in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et in die Festo Corporis Christi, vel aliis diebus pro consvetudine Ecclesiarum.

Quaedam vero sunt extraordinariae, ut quae variis ac publicis Ecclesiae de causis in dies indicuntur.

Ante Missam majorem Sacerdos celebraturus super albam, cum reliquis pluviali coloris tunc competentis, indutus ritu solito procedit: et ante altare inclinatus, vel si in altari fuerit Corpus Christi genuflexus, erigit sese, et accepto a Diacono, vel ministro aspersorio aqua

benedicta moderate (quod in aliis aspersionibus observabit) imbuto, inchoabit Antiphonam: Asperges me, etc.

Choro autem, ut infra, *reliquum prosequente; ipse mox facta ante altare reverentia, aspergat illud ter, nimirum in medio, et utroque cornu Evangelii et Epistolae. Deinde aspergit seipsum et ministros, ex quibus uni reddit aspersorium, ad aspergendum populum, vel in defectu ministri ipse aspergat, recitando interim, si placet, reliquum Ant. praedictae, quae talis est.*

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *Vers.* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen. *Et repetitur Antiph.* Asperges me, etc.

Finita per Chorum Antiphona, celebrans stando versus ad altare, dicit voce canora:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.

OREMUS.

Praesta nobis, quaesumus Domine, hac aqua aspersis, sanitatem corporis, integritatem mentis, tutelam salutis, securitatem spei, corroborationem fidei, fructum charitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hoc modo peragitur aspersio per totum annum, exceptis Dominicis in Passione, et Palmarum: in quibus, post versum: Miserere, *non dicitur:* Gloria Patri, *sed loco ejus repetitur integra Antiph.* Asperges me.

A Dominica Paschae, usque ad Dom. Pentecostes inclusive, loco Asperges me, *canitur Antiphona:*

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, Alleluja. Et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent, Alleluja Alleluja.

Psal. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia ejus. *Vers.* Gloria Patri. *Et repetitur Antiph:* Vidi aquam.

Finita aspersione, ut supra, et Antiphona, dicitur:

℣. Domine apud te est fons vitae, Alleluja,
℟. Et in nomine tuo videbimus lumen, Alleluja.

OREMUS.

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut qui paschalia festa peragimus, coelestibus desideriis accensi fontem vitae sitiamus: Jesum Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicta Oratione, propter universalis Ecclesiae usum in hac Provincia continuatum, retineatur Processio: quae secundum Durandum, in suo Rationali, lib. 6, c. 88, *continet memoriam Dominicae resurrectionis tali die factae. In hac autem processione fit aspersio pavimenti templi, vel Coemeterii, et cantus Responsorii, quod in officio illius diei est ultimum: quorum frequentissimum:* Duo Seraphim, *infra adnotatur. Deinde decantetur Antiphona:* Pax aeterna, *sine temerariis additionibus, ut infra adnotatur. Decursus autem Processionis, vel Stationis, non abs re est, ut modo solito Antiphona: de Patrono Ecclesiae vel Antiphona:* Salvator mundi, *finiatur.*

Responsor. *in Processionibus, a Dom. Trin. ad Advent. et in Dominicis, quae supersunt, post octa. Epiph. ad Septuages. decantandum.*

Duo Seraphim clamabant alter ad alterum. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. Sanctus, etc. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Plena est, etc.

Postea in medio Ecclesiae fit statio, in qua canitur Antiph. sequens, usque ad Dominicam ultimam Octobris.

Pax aeterna. *Chor.* Ab aeterno Patre huic domui; pax perennis verbum Patris, sit pax huic domui, pacem pius consolator huic praestet domui.

℣. Beati qui habitant in Domo tua Domine,

℟. In saecula saeculorum laudabunt te.

OREMUS.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens aeterne Deus, et mittere digneris Sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In Dedicatione Templi et Octava ejus, haec Oratio dicitur:

Veniat, quaesumus Domine, super hanc habitationis domum charitas misericordiae tuae, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum, protectionis tuae sentiatur auxilium. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE PROCESSIONE IN DIE PURIFICATIONIS
Beatæ Mariæ Virginis.

Completa benedictione, et distributione candelarum, ut in Missali Romano reformato, canitur Antiphona:

Lumen ad revelationem gentium. ***Chorus prosequitur.*** **Et gloriam plebis tuae Isràél. Nunc dimittis, etc. Gloria Patri, etc.**

Postea fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum. Et Diaconus vertens se ad populum, dicit in tono:

Procedamus in pace. ***Et Chorus respondet:*** **In nomine Christi. Amen.**

Praecedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem medius inter duos Acolythos, cum

candelabris, et candelis accensis: sequitur Clerus per ordinem, ultimo celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus et cantantur Antiphonae sequentes.

Antiph. Adorna thalamum tuum Sion, et suscipe Regem Christum: amplectere Mariam, quae est coelestis porta: ipsa enim portat Regem gloriae, novi luminis: subsistit Virgo, adducens manibus filium ante luciferum genitum, quem accipiens Simeon in ulnas suas, praedicavit populis Dominum eum esse vitae et mortis, et Salvatorem mundi.

Alia Ant. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini: et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas suas: et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, in pace. ℣. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consvetudinem legis pro eo: ipse accepit eum in ulnas suas.

Et ingrediendo Ecclesiam, cantatur Responsorium.

Obtulerunt pro eo Domino par turturum: aut duos pullos columbarum. Sicut scriptum est in lege Domini.

℣. Postquam autem impleti sunt dies purgationis. Mariae secundum legem Mojsi, tulerunt Jesum in Jerusalem: ut sisterent eum Domino. Sicut script. etc. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut scriptum, etc.

Finita Processione, celebrans et ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelae tenentur in manibus accensae, dum legitur Evangelium, et iterum ad elevationem Sacramenti, usque ad Communionem.

DE PROCESSIONE DIE CINERUM.

Juxta antiquum morem hujus Provinciae, singulis feriis secundis, quartis, et sextis, quando officium fit de feria, vel nisi sit festum celebre, vel duplex, et in cantu solemni, ordine consueto peragitur Processio, intra vel circa ecclesiam, decantando Litanias in eum, qui sequitur modum.

Litaniarum formula, qui est antiquissimus simul et efficacissimus, pro omnibus necessitatibus militantis Ecclesiae, interpellandi modus.

Ministri vel pueri intonant, Chorus vero prosequitur, vel respondet: omnes genuflexi usque ad S. Mariam: et tunc assurgant, et progrediantur.

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miser. nob.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miser. nob.
Sancta Maria,
Sancta Dei genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Sancte Michàël,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphàël,
Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli et Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum spirituum ordines, Orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, Ora pro nobis.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, Orate pro nobis.
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, Ora pro nobis.
Sancte Andrea, Ora pro nobis.

Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Mathaee,
Sancte Simon,
Sancte Thadaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli et Evangeliste,
Orate pro nobis.

Omnes sancti discipuli Domini,
Orate pro nobis.

Omnes sancti Innocentes,
Orate pro nobis.

Sancte Stephane,
Sancte Laurenti,
Sancte Vincenti,
Sancte Adalberte,
Sancte Stanislae,
Sancte Venceslae,
Sancte Floriane,
Sancte Casimire,
Ora pro nobis.

Sancti Fabiane et Sebastiane,
Orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule,
Orate pro nobis.
Sancti Cosma et Damiane,
Orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Prothasi,
Orate pro nobis
Omnes Sancti Martyres,
Orate pro nobis.
Sancte Sylvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Ora pro nobis.
Omnes sancti Pontifices et Confessores,
Orate pro nobis.
Omnes sancti Doctores,
Orate pro nobis.
Sancte Benedicte,
Sancte Antoni,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Hiacinthe,
Sancte Francisce,
Ora pro nobis.

Omnes sancti Monachi et Eremitae,
Orate pro nobis.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae,
Orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Anna,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Sancta Hedvigis,
Sancta Elisabeth,
Sancta Ursula cum sodalibus tuis,
Omnes sanctae Virgines et Viduae,
Orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei,
Intercedite pro nobis.
Propitius esto, Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,

Ora pro nobis. (Sancta Maria Magdalena … Sancta Ursula)

Libera nos Domine. (Ab omni malo … Ab ira et odio)

A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae incarnationis tuae,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti paracleti,
Libera nos Domine.
In die judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Te rogamus audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson.

DE VELO ANTE MAJUS ALTARE.

Notandum, quod in Ecclesiis hujus Provinciae soleat velum extendi inter altare et populum, quae caeremonia quamvis sit particularis, non videtur tamen immutanda, eo quod et ratione non careat. Cum enim prima Feria quarta Quadragesimali appenditur, videtur denotare statum Poenitentiae, quando peccata diviserunt inter Deum et populum: et Sacerdotes inter vestibulum et altare interpellant pro peccatis populi. Ideoque congruit illud clausum tenere in officio de tempore, excepta missa: et quae fuerint alia, ad quae populus attendere debet. Quando vero rursus ultima Feria quarta hebdomadae sanctae deponitur, circa illa verba in Passione Domini: Et velum templi scissum est, *potest per id intelligi (exacta jam quasi poenitentia) efficacia passionis, et mortis Christi, medium parietem maceriae inter Deum et peccatorem dissolventis. Simili fortasse ratione imagines Christi, matris ejus, et Sanctorum, per illud tempus clauduntur, aut velantur, usque ad Sabbatum Sanctum: excepto signo Passionis Domini, quod Feria quinta Coenae Domini aperiatur. Reliqua quae in officio Quadragesimae observanda sunt; petantur ex Rubro Breviarii et Missalis Romani.*

DE PROCESSIONE IN DOMINICA PALMARUM.

Repraesentationem solemnis Christi Jerosolymam ingressûs, et alia similia, fervens olim populi devotio, non sine spirituali fructu in hac Provincia introduxerat. Nunc refrigescente charitate, siquidem tantae pietati plerumque fastus et tumultus, non sine adversariorum scandalo successerint; expediret Processionem, absque patrio apparatu, juxta praescriptum Missalis Rom. peragere, tempori tamen, ex saepe dictis rationibus serviendo, ritum hunc tot saeculis usurpatum, sicut novissime reperimus descriptum, hic ponimus. Sublato igitur omni tumultu, et irreverentia, quae maxime in circumductione asini committi solet, quae etiam ideo satius esset ommittenda (*): *ordinetur puerorum chorus, modeste, non pompose, multo vero minus femineo, ne dicam scaenico fastu adornatus: et facto moderato circuitu, qui cantui respondeat, sistatur Processio, ante imaginem Crucifixi: cujus opertorium non in modum sepulchri, sed tabernaculi quasi arcus triumphalis honorati, debet componi. Expediantur tandem reliqua, modo infra scripto, usitato, breviter tamen, ne tempus, ad Sacramenta populo tunc coffluenti ministranda, extrahatur.*

(*) Jam ab antiquo sublata est.

Responsorium in egressu templi.

Cum appropinquaret Dominus Jerosolymam, misit duos ex discipulis suis, dicens: ite in castellum, quod contra vos est, et invenietis pullum asinae alligatum, super quem nullus hominum sedit, solvite, et adducite mihi. Si quis vos interrogaverit, dicite: opus Domino est. Solventes adduxerunt ad Jesum, et imposuerunt illi vestimenta sua, et sedit super eum.

Pueri stantes ante crucem, cantant hos versus sequentes, Choro hoc idem post eos repetendo.

Alii expandebant vestimenta sua in via. Alii ramos de arboribus prosternebant; et qui sequebantur clamabant, Hosanna: Benedictus, qui venit in nomine Domini. *Chorus.* Benedictum regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis. Miserere nobis fili David.

Antiphonam hanc etiam Chorus cantat.

Cum audisset populus quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et exierunt ei obviam, et clamabant pueri dicentes; *Pueri cantant:*

Hic est, qui venturus est in salutem populi.

℣. Hic est salus nostra, et redemptio Isràël.

℣. Quantus est iste, cui throni et dominationes occurrunt.

℣. Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi, sedens super pullum asinae, sicut scriptum est

℣. Salve rex, fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

Antiphona haec per chorum canitur.

Ante sex dies solennis Paschae quando venit Dominus in civitatem Jerusalem, occurrerunt ei pueri, et in manibus portabant ramos palmarum, et clamabant voce magna, dicentes: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venisti in multitudine misericordiae tuae. Hosanna in excelsis.

Dum canitur supra scripta Antiphona, Cantores vel pueri intrant in Ecclesiam vel aliquem competentem locum et cantant Hymnum:

Gloria, laus et honor, tibi sit Rex Christe redemptor. Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Sacerdos vero cum aliis stantibus extra Ecclesiam, repetit illud idem. Deinde stantes intus, cantant versus sequentes.

Isràël es tu Rex Davidis, et inclyta proles, nomine, qui in Domini Rex benedicte venis *Chorus.* Cui puerile, etc.

Pueri: Coetus in excelsis te laudat coelitus omnis: et mortalis homo, et cuncta creata simul. *Chorus.* Gloria laus.

Puer. Plebs hebraea tibi cum palmis obviam venit: cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi. *Chorus.* Cui puerile.

Puer. Hi tibi passuro solvebant munia laudis: nos tibi regnanti pangimus ecce melos. *Chorus.* Gloria laus.

Puer. Hi placuere tibi, placeat devotio nostra: Rex pie, Rex clemens, cui bona cuncta placent. *Chorus.* Cui puerile decus.

Iterum Cantores vel pueri reincipiunt altiori voce.

Gloria laus. *Chorus prosequitur ad finem.*

Finito Hymno, pueri ad hoc destinati et induti, ramis arborum ad pedes stratis, canunt hanc Antiphonam.

Pueri hebraeorum, tollentes ramos olivarum, obviaverunt Domino, clamantes et dicentes: Hosanna in excelsis.

Chorus eandem Antiphonam resumit. Postea iidem pueri habentes strophiola alba ad collum applicata, canunt:

Pueri hebraeorum, vestimenta prosternebant in via, et clamabant dicentes: Hosanna filio David.

Procumbentes in genua plicatis manibus:

Benedictus, qui venit in nomine Domini. *Chorus repetit.*

Deinde pueri bini et bini, tenentes flores in corbulis, progredientes et spargentes flores, trina vel unica voce canunt:

Occurrerunt turbae cum floribus et palmis redemptori Domino. *Chorus prosequitur:* Et victori triumphanti dicta dant obsequia, Filium Dei olim gentes praedicant, et in laudem Christi voces tonant per nubila, Hosanna.

Finita Antiphona, duo vel quatuor Scholares adulti, procidendo, vel genuflectendo, canunt Antiphonam.

Fulgentibus palmis prosternimur advenienti Domino. Huic omnes occurra-

mus cum Hymnis et Canticis, glorificantes et laudantes. Benedictus Dominus. *Chorus repetit.* Fulgentibus.

Deinde ad Crucem Praelatus officians accedens cum Ministris, flexis genibus palma ter tangit imaginem crucifixi, ter cantando hanc Antiph.

Scriptum est enim, percutiam Pastorem. *Chorus ad finem prosequitur:* Et dispergentur oves gregis: postquam autem surrexero, praecedam vos in Galileam: ibi me videbitis, dicit Dominus.

Post hoc Praelatus cum duobus Presbyteris, imaginem Crucifixi in altum levando, caeteris omnibus genuflexione adorantibus, cantat bina vice:

O Crux ave spes unica. *Tertia vice:* Te summa Deus Trinitas.

Chorus cantat hos versus ad finem. Demum cruce in loco posita, et thurificata, ac exosculata; redeunt ad Ecclesiam cantando Responsorium.

Ingrediente Domino in sanctam civitatem, hebraeorum pueri resurrectionem vitae pronuntiantes, cum ramis palmarum Hosanna clamantes in excelsis ℣. Cumque

audisset populus, quia Jesus venit Jerosolymam, exierunt obviam ei. Cum ramis.

℣. Erue a framea Deus animam meam,
℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

OREMUS.

Deus, qui nos regendo conservas, parcendo justificas, per passionem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, a temporali tribulatione nos eripe, et aeterna nobis gaudia largire. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Vel ista.

Adjuva nos, quaesumus Domine Deus noster, et ad beneficia tua recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IN DIE PARASCEVES.

Post Missam finitis Vesperis sine cantu, Sacerdos accipit hostiam majorem relictam, honeste inclusam et velatam. Aliquis autem cum ministris praecedit cum cruce, et relicto

apparatu sicut prius: et progrediuntur ad sepulchrum praeparatum, in quo cum reverentia et thurificatione, reponit primo Corpus Christi; deinde loco competenti crucem ipsam, et signat sigillo, vel aliqua clausura: deinde disceditur, relicto cantu continuo Psalmorum, ubi fieri potest, ubi prius hostia, quae a communione remansit, fuerit reverenter in locum suum reposita. Initio autem talis Processionis, canitur a Choro: Recessit Pastor noster, etc. Ecce quomodo moritur justus, etc. Sepulto Domino, etc. *ut sequitur.*

Recessit Pastor noster, fons aquae vivae, ad cujus transitum sol abscuratus est. Nam et ille captus est, qui captivum tenebat primum hominem: hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster disrupit. ℣. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli. Nam.

Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde, et viri justi tolluntur, et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est justus. Et erit in pace memoria ejus. ℣. Tamquam agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum: De angustia et de judicio sublatus est. Et.

Sepulto Domino, signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti. Ponentes milites, qui custodirent illum. ℣. Accedentes principes sacerdotum ad Pilatum, petierunt illum. Ponent.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Apertio Sepulchri et Processio.

In nocte Resurrectionis Dominicae circiter medium noctis, vel secundum exigentiam Officiorum Divinorum, antequam ad Matutinas vel quispiam alius pulsus fit, Praelatus cum aliis Presbyteris induti albis solemnioribus, vel superpelliceis, stolis, et pluvialibus seu cappis, cum ministris incensum et aquam benedictam ferentibus, vexillis praeterea et accensis candelis, praecedentibus ex Choro in silentio recta ad sepulchrum vadunt. Ad quod cum pervenerint, flexis genibus, sequentem Antiphonam cum Psalmis cantent, voce primo submissa.

Gloria tibi Trinitas, aequalis una Deitas: et ante omnia saecula, et nunc et in perpetuum.

Psalmus.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Multi insurgunt adversum me

Multi dicunt animae meae, non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi et soporatus sum et exurrexi: quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, et Filio, etc. *Repetitur.* *Antiphona.* Gloria

Deinde dicit Praelatus.

Kyrie elejson. ℟. Christe elejson.
Kyrie elejson. *Pater noster, Ave Maria.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem, etc.

℣. In Resurrectione tua Christe, Alleluja.

℟. Coelum et terra laetantur, Alleluja.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, humilis in passione, potens in resurrectione, mortis infernique destructor, quod olim per Prophetas in scripturis promisisti, hodie devicta morte resurgendo implesti: propter quod omnis coelestis militiae Spiritus, et totus terrarum orbis profuso mentis gaudio, exultando te resurgentem adorant, et glorificant: tartareae quoque nimium formidant ac tre-

munt potestates. Nos autem tuae dignationis humiles servuli gloriosae resurrectionis tuae memoriam unanimi voto devotissime celebrantes, ecce frequentes adsumus, et exuberantis tuae in nos charitatis memores, pias non continemus lachrymas. Respice quaesumus, humilitatis nostrae obsequia: et praesta, ut detersis peccatorum nostrorum sordibus, in his paschalibus solemniis tibi resurgere, ac sanctissimae passionis, ac resurrectionis tuae, fructûs capaces esse mereamur. Qui vivis et regnas Deus, in saecula saeculorum. Amen.

Finita Oratione, et semotis sigillo et linteis, Sacerdos incensat sepulchrum, ac promit crucem seu imaginem resurrectionis, et tradit deferendas in Processione ministris: ipse vero elevans Sacrosanctam Eucharistiam, incipit Responsorium.

Cum Rex gloriae Christus infernum debellaturus intraret et chorus angelicus ante faciem ejus, portas principum tolli praeciperet. Sanctorum populus, qui tenebatur in morte captivus, voce lacrymabili clamaverat: advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tene-

bris, ut educeres hac nocte vinculatos de claustris. Te nostra vocabant suspiria. Te larga requirebant lamenta. Tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis.

Choro, apertis ac jucundis vocibus ad finem prosequente, per Ecclesiam semel vel ter, donec cantus finiatur, processionem peragendo; necnon campanularum per praecedentes pueros superpelliceis indutos, tinnitu, et majorum in turri, pro cujusque loci consvetudine campanarum pulsu resonantia, Clero procedente, et populo candelis accensis sequente.

Finito Responsorio, populus cantat:

Chrystus zmartwychwstan jest, i t. d. *vel germanice:* **Christ ist auferstanden, u. s. v.** *et reliqua secundum locorum consvetudinem.*

Facto circuitu, crucifixum in summo summi altaris gradu Sacerdotes tenentes et sursum elevantes, ter incipiunt Antiphonam:

Surrexit Dominus de sepulchro. *Chorus prosequitur:* **Qui pro nobis pependit in ligno, Alleluja.**

℣. In resurrectione tua Christe, Alleluja

℟. Coelum et terra laetantur, Alleluja.

OREMUS.

Deus, qui nos resurrectionis Dominicae annua solemnitate laetificas: concede propitius, ut per temporalia festa, quae agimus, pervenire ad gaudia aeterna mereamur. Per eundem. etc.

Sub finem Antiphonae, Sacerdos reponat Eucharistiam in medio altaris, inchoato Matutino, ad Ciborium, cum reliqua, reverenter deportandam. Alii etiam statuunt Crucifixum una cum imagine Resurrectionis (ubi habetur) in altari, vel in aliquo honorato et edito loco circa altare. Quibus peractis, Matutinae solemniter continuentur.

Ubi autem unus tantum Sacerdos fuerit, solus perficiat supra dicta. Finito Matutino canitur Antiphona de Beata Virgine.

Regina coeli laetare, Alleluja, etc.

℣. Gaude et laetare Virgo Maria, Alleluja.

℞. Quia surrexit Dominus vere, Alleluja.

OREMUS.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi familiam tuam laetificare dignatus es: praesta

quaesumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem, etc. ℟. Amen.

Finaliter canitur Sequentia, seu Prosa.

Victimae paschali laudes, etc.

Post quemlibet versum populus in vulgari suo, canit canticum laetitiae de Resurrectione Domini.

Chrystus zmartwychwstan jest, i t. d.
Christ ist auferstanden, u. s. w.

PROCESSIO PASCHATIS ANTE MAJOREM MISSAM.

Praelatus cum ministris ad majus altare accedit, et facit reverentiam ante illud, et statim fit aspersio cum cantu Responsorii: Vidi aquam, *suisque versu et oratione uti dictum est supra de Processionibus in Dominicis diebus. Deinde statim incipitur Responsorium:* Cum Rex gloriae, etc. *quod canit Chorus stando, usque dum dicitur:* Advenisti. *Tunc progrediatur Processio e Choro in coemeterium coelo sereno (alias intra Ecclesiam fit Processio) praecedentibus vexillis et ceroferariis, subsequenti vero imagine Resurrectionis a dextris, Crucifixi vero a sinistris. Quod in aliis Processionibus tempore Paschali observetur. In quibus per partes a Cantoribus Hymnus sequens decantetur:*

Salve festa dies, toto venerabilis aevo, qua Deus infernum vicit, et astra tenet.

Ecce renascentis testatur gratia mundi, omnia cum Domino dona redisse suo.

Namque triumphanti post tristia tartara, Christo undique fronde nemus, gramina flore favent.

Legibus inferni oppressis, super astra meantem laudant rite Deum, lux, polus, arva, fretum.

Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat, dantque Creatori cuncta creata precem.

Dum hi versus canuntur, tota processio subsistit. Post quemlibet autem versum progrediente Processione, populus vulgarem cantum laetitiae de resurrectione Christi succinit.

Deinde fit ultima statio in medio Ecclesiae, ubi canitur Antiphona: Sedit Angelus, *cum suis versibus, quos alternatim canunt Sacerdotes et Chorus, juxta consvetudinem cujusque Ecclesiae.*

Hic ordo Processionis servatur omnibus Dominicis diebus, usque ad Festum Ascensionis Domini.

IN FESTO SANCTI MARCI EVANGELISTÆ.

De Litaniæ majoris et minoris institutione et causis.

Occurrunt hoc tempore paschali Litaniae, seu deprecationes majores et minores: Majores sunt in Festo Sancti Marci, etiamsi festum cum ejusdem Missa contingat transferri, nisi incidant in diem Paschatis, tunc enim transferuntur in feriam tertiam sequentem, ex Decreto S. Congregationis Rituum, 25 Septembr. 1627. Dicuntur autem Majores Litaniae ad differentiam Minorum, de quibus mox dicetur, quas instituit Sanctus Gregorius Papa, non simpliciter, sed ad Aedem Sancti Petri, teste Baronio in Martyrologio die 25 April. quae etiam ante Sanctum Gregorium erant annuae, ut ipse testatur, initio Epistolarum libro 2 vocans eas annuas et majores. Septiformem enim Litaniam instituerat Divus Gregorius ad certas Ecclesias, distribuens Processionem in septem ordines; hoc est: Clericorum, Religiosorum, Monialium, puerorum, adolescentum, viduarum, et continentium, ac conjugatorum: idque ut ait Ordo Romanus, propter imminentem coelestis irae mucronem, hoc est pestem inguinariam, qua obibant multi, etiam oscitando et sternutando, morte repentina. Unde et oscitantes digito super os formabant signum Crucis et sternutantibus dicebatur: Deus te juvet; *qui mores ad nos usque devenerunt.*

Minores autem Litaniae, id est Rogationes seu Deprecationes, fiunt triduo ante Ascensionem Domini, quae celebrari jubentur. c. Rogationes de con. dis. 3. *Meminit earum D. Augustinus,* Ser. 173 de tempore, *vocans eas: Dies compunctionis et poenitentiae. Unde constat eas antiquiores esse, Majoribus Litaniis a S. Gregorio restitutis. Dicuntur autem hae minores restitutae a S. Mamerto Viennensi Episcopo in Galliis, ob incursionem luporum damna gravissima populis adferentium: quae ideo appellatae sunt minores, quia a minori Episcopo, et in minori loco restitutae, respectu Sancti Gregorii, et Urbis Romae. Fiunt autem praedictae Litaniae ad peccata purganda, pacem impetrandam, pestilentiam avertendam, conservationem frugum tunc e terra prodeuntium, et caeteras necessitates; quibus diebus fideles abstinentiam servare, et lacticiniis semel in die vesci debent.*

Moneant ergo Parochi Populum, ut ad praedictos fructus spirituales et temporales consequendos, his Processionibus devote interesse studeant.

ORDO LITANIÆ MAJORIS ET PROCESSIONIS
die Sancti Marci.

Finita majori Missa, vel tempore, quod commodius videbitur, Sacerdos officians super albam et stollam pluviali violaceo, vel simili indutus, tenens reliquias cum duobus ministris,

sicut ad Missam ministrare solent, ante majus altare genuflexus, voce sonora, in tono dicit sequentem exhortatoriam Antiphonam:

Oremus dilectissimi nobis, Deum Patrèm omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat; peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat, et pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesque depellat inimicos, et de manu inferni liberet nos propter nomen suum. Alleluja.

Postea inchoat in cantu solito sequentem Antiphonam:

Exurge Domine. *Prosequitur Chorus eodem cantu:* Adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum, Alleluja. *Psal.* Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis. ℣. Gloria Patri, etc.

Postea repetitur Antiphona ad Psalmum ut prius.

℣. Peccavimus Domine, cum patribus nostris,

℟. Injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Misere, quaesumus Domine, familiae tuae, et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, munera compunctionis aperi, et largitate pietatis exaudi. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde Chorus incipit Litaniam, supra in die Cinerum positam, genuflexis omnibus, usque ad locum: Sancta Maria: *tunc enim assurgitur. Cum vero dicitur:* Sancte Petre, etc. *proceditur ordine Processionis consveto, praecedentibus vexillis et Cruce paschali, subsequente Choro, et ordine puerorum, Cantorum, Sacerdotum, et ultimo populi. Processiones autem dirigantur ad Ecclesias, seu* loca *secundum locorum consvetudinem. Cum autem appropinquatur alicui Ecclesiae, vel Oratorio, intermissa Litania, canitur Responsorium, vel Antiphona, quae ex Officio Romano maxime quadrat Patrono, vel Patronis ejusdem Ecclesiae. Si autem fuerint ex Apostolis, Evangelistis, vel Martiribus, tempore paschali cantetur Antiphona:* Filiae Jerusalem, venite, etc.

Congruum autem esset, ut tunc in eadem Ecclesia ordinaretur Missa, cui Processio tota interesset ad minus per Canonem majorem, si tempus patitur; finito cantu, officians, depositis Reliquiis super Altare, ante illud inter ministros genuflectat, similiter et reliqui et per Chorum decantentur Suffragia sequentia, vel aliqua eorum, pro ratione et temporis oppor-

tunitate. Si vero non habentur propria, substituantur de Communi, ex Officio Romano.

ANTIPHONÆ SUFFRAGIORUM COMMUNIUM, cum suis Versibus et Collectis.

De Sancto Spiritu.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende; qui per diversitatem linguarum cunctarum gentes in unitatem fidei congregasti, Alleluja, Alleluja.

De Sancta Cruce.

Crucem Sanctam subiit, qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia, Alleluja.

De B. Maria Virgine.

Regina coeli laetare Alleluja. Quia quem meruisti portare Alleluja. Resurrexit sicut dixit Alleluja. Ora pro nobis Deum Alleluja.

De SS. Apostolis Petro et Paulo.

Gloriosi principes terrae quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati, Alleluja.

De Sancto Marco Evang. in festo ejus tantum.

Sancti tui Domine florebunt sicut lilium, Alleluja, et sicut odor balsami erunt ante te. Alleluja.

Si Patronus, vel Patrona Ecclesiae, in qua est Statio, non est ex Sanctis hucusque positis, inseratur hoc loco ejus commemoratio per Antiphonam, Versum, et Collectam, infra sibi competentem. Idem fiat immediate post, de Sancto vel Sancta, si cujus Reliquiae celebres habentur in eadem Ecclesia.

De Confessore Pontifice.

Sacerdos et Pontifex et virtutum opifex, Pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum, Alleluja.

De Confessore Pontifice.

Amavit eum Dominus et ornavit eum stolam gloriae induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum, Alleluja.

De Confessore non Pontifice.

Hic vir despiciens mundum et terrena triumphans, divitias coelo condidit ore manu, Alleluja.

De Confessore non Pontifice.

Similabo eum viro sapienti, qui aedificavit Domum suam supra petram, Alleluja.

De Sancto Adalberto.

Per merita Sancti Adalberti Christe nos exaudi atque ejus precibus nobis succurre miseris. Alleluja.

De Sancto Stanislao.

Vir inclyte Stanislae, vita, signis, passione, plebem tuam, Pastor bone, fove benedictione, guberna protectione, salva sancta intercessione, Alleluja.

De Sancto Venceslao.

Corde lingua rogamus te, Sancte Venceslae, memento plebis catholicae. Alleluja.

De Sancto Floriano.

In Floriano, latuit sub militari chlamyde Christi tyro, qui patuit dum pugnam petit avide. Alleluja.

De Sancta Hedvige.

Hedvigis Sancta inclyta nos servet à ruina, nosque frui faciat gratia Divina. Alleluja.

Contra hostes Ecclesiae.

Contere Domine fortitudinem inimicorum Ecclesiae tuae et disperde illos in virtute tua, ut cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

Pro Rege.

Quoniam Rex noster sperat in te Domine, inveniatur manus tua omnibus inimicis ejus et dextera tua protegat eum.

Pro serenitate vel pluvia.

Domine Rex, Deus Abraham, dona nobis pluviam congruentem *v. serenitatem*, *v. benignitatem* super faciem terrae, ut sciat populus tuus, quia tu es Dominus Deus noster. Alleluja.

Pro Pace.

Da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster.

De omnibus Sanctis temp. paschali.

In coelestibus regnis Sanctorum habitatio est, Alleluja, et in aeternum requies eorum. Alleluja.

Finitis Suffragiis, Sacerdos officians, prosequitur Versus infra scriptos, ita ut Suffragiis respondeant.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur, Alleluja.
℟. Et renovabis faciem terrae, Alleluja.
℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi
℟. Quia per Crucem tuam redemisti mundum.
℣. Dicite in nationibus, Alleluja.
℟ Quia Dominus regnavit a ligno, Alleluja.
℣. Gaude et laetare Virgo Maria, Alleluja.
℟. Quia surrexit Dominus verè, Alleluja.
℣. In omnem terram exivit sonus eorum, Alleluja.
℟. Et in fines orbis terrae verba eorum, Alleluja.

℣. Sancti et justi in Domino gaudete, Alleluja.

℟. Vos elegit Deus in haereditatem sibi, Alleluja.

Hic inseratur Versus de Patrono, vel Reliquiis, ut supra.

℣. Gloria et honore coronasti eum Domine, Alleluja.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum, Alleluja.

℣. Posuisti Domine super caput ejus, Alleluja.

℟. Coronam de lapide pretioso, Alleluja.

℣. Justus ut palma florebit, Alleluja.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur, Alleluja.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, Alleluja.

℟. Mors Sanctorum ejus, Alleluja.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, Alleluja.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum, Alleluja.

℣. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus.
℟. Et fugiant a facie ejus qui oderunt eum.
℣. Domine salvum fac Regem nostrum N.
℟. Et exaudi nos in die, quà invocaverimus te.
℣. Dominus dabit benignitatem, vel (serenitatem), Alleluja.
℟. Et terra nostra dabit fructum suum, Alleluja.
℣. Adjuva nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Exultent justi in conspectu Dei, Alleluja.
℟. Et delectentur in laetitia, Alleluja.
℣. Laetamini in Domino, et exultate justi, Alleluja.
℟. Et gloriamini omnes recti corde, Alleluja.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Deinde Sacerdos surgens dicit sequentes Orationes sub una conclusione.

OREMUS.

Da quaesumus, Ecclesiae tuae, misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, ut resurrectionis gratiam consequamur.

Alia extra tempus paschale.

Deus, qui sanctam Crucem ascendisti, et mundi tenebras illuminasti: tu quoque corda et corpora nostra, per virtutem sanctae Crucis illuminare et visitare digneris.

De B. Virgine tempore paschali.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, familiam tuam laetificare dignatus es: praesta quaesumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam, perpetuae capiamus gaudia vitae.

Alia extra tempus paschale.

Concede nos famulos tuos, Domine Deus perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

De Apostolis.

Protege Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum et Evangelistarum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

De S. Marco.

Deus, qui beatum Marcum Evangelistam tuum, Evangelicae praedicationis gloria sublimasti: tribue quaesumus, ejus nos semper eruditione proficere et oratione defendi.

Hic inserenda Oratio de Patrono loci, vel Reliquiarum ut supra.

De S. Adalberto.

Tuam nobis indulgentiam, quaesumus Domine, beatus Adalbertus Episcopus

et Martyr imploret, ut et delicta nobis clementer ignoscas, et beneficia desiderata concedas.

De S. Stanislao.

Populum tuum, quaesumus, Domine, intercedente beato Stanislao Martyre tuo atque Pontifice, dextera virtutis tuae potenter defende, et solem majestatis tuae irreverberato mentis radio, gloriantor intueri concede.

De S. Venceslao.

Deus, qui beati Venceslai nobilitatem, in meliorem mutasti dignitatem, et eum per martyrii palmam, ad coelestem perduxisti gloriam: ejus quaesumus precibus nos ab omni adversitate libera, et aeternae beatitudinis gloria perfrui concede.

De S. Floriano.

Adesto Domine populo tuo, ut sancti Floriani Martyris tui praeclara merita suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam, semper ejus patrociniis adjuvetur.

De S. Hedvige.

Deus gratiae dator et gloriae, tuae nobis propitius sinum pietatis aperi: et praesta, ut qui hic manentem civitatem non habemus, ad futuram quam quaerimus, beatae Hedvigis suffragio perdumur.

Contra hostes Ecclesiae.

Ecclesiae tuae quaesumus Domine, preces placatus admitte, ut, destructis adversitatibus, et erroribus universis, secura tibi serviat libertate.

Alia contra infideles et haereticos,

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates, et omnium jura regnorum: respice quaesumus in auxilium christianorum, ut gentes infidelium et haereticorum, quae in sua feritate confidunt, dextera tuae potentiae conterantur.

Pro Rege.

Quaesumus omnipotens Deus, ut famulus tuus Rex noster N., qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incre-

menta: quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas, et vita es, gloriosus valeat pervenire.

Pro serenitate.

Ad te, nos Domine clamantes exaudi, et aëris serenitatem, vel (benignitatem) tribue supplicantibus: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua praeveniente, clementiam sentiamus.

Pro pluvia.

Deus, in quo vivimus, movemur, et sumus: pluviam nobis tribue congruentem: ut praesentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialiter appetamus.

Tempore pestis vel famis.

Da nobis, quaesumus Domine, piae supplicationis effectum, et pestilentiam famemque propitius averte: ut mortalium corda cognoscant, et te indignante talia flagella prodire, et te miserante cessare.

Pro pace.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis

tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

De omnibus SS. tempore paschali.

Da, quaesumus Domine, fidelibus populis, omnium Sanctorum tuorum semper veneratione laetari, et eorum perpetua supplicatione muniri.

Alia de Omnibus SS. conclusiva.

Omnes Sancti tui, quaesumus Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus, et pacem tuam nostris concede temporibus; et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, iter, actus, et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuae prosperitate dispone, benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Dominum, etc.

Si in defectu Ecclesiarum, Processionem oporteret dirigi extra vicum, vel pagum, ad

imaginem Crucifixi: curet imprimis Parochus, ut tales imagines sint integrae, honestae, et si fieri potest, benedictae. Ad quas primo debet praecedere Antiphona cum suo Versu et Collectis, de S. Cruce; deinde reliquae, secundum necessitatem vel oportunitatem.

Cum receditur ab Ecclesia, vel loco stationis, resumitur Litania, ubi ante desierat, in eodem tono. Et repetatur, donec ad aliam Stationem, vel propriam Ecclesiam redeatur. Vel si placet sub simili tono cantetur Litania de nomine Jesu vel B. Virgine.

In reditu et ingressu ad propriam Ecclesiam, canendum est Responsorium, vel Antiphona, de proprio Patrono ejusdem Ecclesiae, et per Versum et Collectam, per Officiantem Processio finienda.

De Litania minori diebus Rogationum.

Tribus diebus immediatis ante Festum Ascensionis Domini, fiunt similes Processiones, et Litaniae, ut supra in festo S. Marci, nisi quod ultima die, hoc est feria quarta in ultimo regressu ad propriam Ecclesiam, ubi est consvetudo, debet decantari Sequentia: Victimae Paschali, *interserendo Versibus patrium Canticum:* Chrystus zmartwychwstan jest, i t. d. *vel germanice:* Christ ist auferstanden, u. s. w. *Quae Processio et Litania non debet omitti, quamvis in aliquem eorum dierum inciderit festum celebre. Tempore autem pluvioso, potest in Ecclesia absolvi.*

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

*In die Ascensionis Domini Processio peragatur hoc modo: incipit Chorus absolute **Antiphonam**:* Cum Rex gloriae Christus; pag. **432**, *quam prosequitur stando. Et **dum dicitur**,* Advenisti desiderabilis: *tunc egrediatur **Processio** è Choro in coemeterium, praecedentibus **vexillis**, et in solito loco subsistat. Ubi **finita Antiphona**, Scholares ad hoc **ordinati cantant** Hymnum:*

Salve festa dies. *Chorus prosequitur;* Toto venerabilis aevo, qua Deus coelos ascendit, et astra tenet. *Et statim populus subjungit:* Przez twoje święte wniebowstąpienie, i t. d.

Chorus cum Clero subsistit, et cantant versum.

Ecce renascentis pag. 436.	*Post quemlibet versum, populus progrediendo repetit:*
Namque triumphanti.	Przez twoje ś. wniebowstąpienie, i t. d.
Legibus inferni.	
Qui crucifixus erat.	

Intrando Ecclesiam canitur Responsorium: Ite in orbem. *Deinde fit statio in medio Ecclesiae, ubi Praelatus officians incipit hos versus.*

Oramus Domine conditor inclyte. *Chorus:* Devotos famulos respice, protege: ne nos livor edax daemonis obruat, demergat vel in inferos.

Officians: Ut cum flammivoma nube reverteris. *Chorus:* Occulta hominum pandere judicans, ne des supplicia horrida noxiis, sed justis bona praemia.

Officians: Praesta hoc genitor optime maxime. *Chorus:* Hoc tu nate Dei, et bone Spiritus, regnans perpetuo fulgida Trinitas, per cuncta pie saecula. Amen.

Intrando Chorum haec Antiphona tribus vicibus per Presbyteros cantatur:

Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. *Chorus:* Deum meum, et Deum vestrum, Alleluja.

Post decantatos in statione versus Hymni, per celebrantem, dicitur Versus cum Oratione.

℣ Ascendens Christus in altum, Alleluja.

℟. Captivam duxit captivitatem, Alleluja.

OREMUS.

Deus, cujus Filius in alta coelorum potenter ascendens, captivitatem nostram sua duxit virtute captivam: tribue quaesumus, ut dona, quae suis participibus contulit, largiatur et nobis Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti etc.

In Parochialibus Ecclesiis hic mos observatur: Sacerdos officians ad altare accedens cum ministris, si adsunt, et accipiens imaginem Salvatoris, eam cum reverentia paulatim ter attollit, cantando Antiphonam: Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum. *Chorus prosequitur:* Deum meum et Deum vestrum, Alleluja. *Et post singulas intonationes, crucem iterum parum demittit: quam Antiphona finita, in altari collocat; Sacro finito ad Sacristiam reverenter deferendam.*

Representatio autem Ascensionis Domini, per receptionem imaginis ejusdem ad superiora, est abolenda: praesertim, si post illam, imago cacodaemonis dejiciatur, et alia superstitiosa fiant cum scandalo et tumultu.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ad aspersionem canitur Responsorium: Vidi aquam, *cum Versu et Oratione, ut in principio hujus libri dictum est.*

Deinde ad Processionem canitur: Cum Rex gloriae Christus, pag. 432; *qua finita, scholares incipiunt Hymnum:*

Salve festa dies. *Chorus prosequitur:* Toto venerabilis aevo, qua Deus Spiritum misit et astra tenet. *Populus progrediendo cantat:* Przez twoje święte Ducha zesłanie, i t. d.

Chorus cum Clero subsistit, et cantat reliquos versus, uti supra signatum est.

Intrando Ecclesiam, canitur Responsorium:

Apparuerunt Apostolis dispartitae linguae.

Deinde fit statio in medio Ecclesiae, ubi Praelatus officians, incipit hos versus Hymni:

Veni Creator Spiritus. *Chorus pros.* Mentes tuorum visita, imple superna gratia: quae tu creasti pectora.

Sac. Hostem repellas longius. *Chorus:* Pacemque dones protinus, Ductore sic te praevio, vitemus omne noxium.

Sac. Per te sciamus da Patrem. *Chorus:* Noscamus atque Filium; Te utriusque Spiritum credamus omni tempore.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur, Alleluja.

℟. Et renovabis faciem terrae, Alleluja.

OREMUS.

Praesta quaesumus omnipotens et misericors Deus, ut sanctus Spiritus adveniens, templum nos gloriae suae, dignanter inhabitando perficiat. Per Christum Dominum nostrum.

Intrando Chorum, canitur Antiphona.

Accipite Spiritum sanctum. *Chorus:* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Alleluja.

IN SOLEMNITATE CORPORIS CHRISTI.

Corporis Domini solemnitas, siquidem die Coenae Domini, propter lugubre tempus passionis Dominicae, et alias continuatas festivitates, celebrari, ut par est, non poterat: ecclesia huic rei assignavit commodissime Feriam quintam post festum SS. Trinitatis, cum septem aliis continuis diebus. Per quod tempus Pastores adhortentur populum, tam doctrina, quam exemplo, ad ardentem et continuum tanto Sacramento honorem praestandum; admonente idipsum Ecclesia, dum sic canit: Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude, nec laudare sufficis. *Proferant ergo tanquam boni patres-familias, ex thesauris scientiae et prudentiae suae, nova reformatorum adorandi rituum, multis locis Provinciae jam explorata, nec minus retineant vetera patriarum consvetudinum, modo talia*

sint, ne contumeliam potius quam honorem inferant Christo in Sacramento praesenti; admoneatur populus de quotidianis per Octavam indulgentiis, quas consequuntur, qui intersunt horis Canonicis in Ecclesia, vel ubi eae non decantantur, Missae, Vesperis, et Processionibus, quae circa illas quotidie fiunt.

Pridie igitur ejusdem Festi, in Missa reservandae sunt, et in tabernaculo honorofice deponendae duae majores hostiae consecratae, ne forte alteram illarum frangi contingat. Ante inchoationem vero Vesperarum adornetur templum et ejus partes; maxime vero Altare et tabernaculum in quo Eucharistia collocari debet. Sacerdos igitur sacris vestibus ad Vesperas indutus, cum suis ministris, candelis, et thuribulo accensis, veniunt ad hostias repositas, easque genuflexi adorant. Postea officians unum ex eis ponit in tabernaculum, seu monstrantiam, et reverenter thuribulo incensat. Demum praecedentibus vexillis, candelis accensis, ministris, thuribulo, campanarum tinnitu, et stans versus populum, inchoat versum:

O salutaris hostia! ***Choro reliqua usque ad finem Hymni prosequente.***

Sacerdos cum aliis progreditur ad Altare majus, in quo Eucharistiam reverenter deponit, et cum aliis omnibus genuflexus adorat donec Chorus cantu, si fieri potest, figurali absolvat aliquam Antiphonam tempori congruentem. Postea Sacerdos resumit Sacramentum, et ad altare

versus populum stans, incipit Responsorium: Homo quidam fecit: *quod canendo prosequitur chorus ordine suo procedens, quem sequi debent pueri, ecclesiastico vel honesto habitu induti, tenentes in manibus, non calices (ut magno et periculoso abusu fieri solet), sed candelas vel faces accensas, et ut fieri potest, adornatas. Convenit autem ut reliqui Sacerdotes, et populus ipse lumina deferant. Ministri autem, vel unus illorum, praefert thuribulum ante Eucharistiam incensando. Perficitur circuitus intra vel extra Ecclesiam, secundum opportunitatem. Quod si circuitui non sufficit Responsorium, addatur aliqua Antiphona, vel Hymnus tempori deserviens. Exacto circuitu, Sacerdos reponit super altare Eucharistiam, et dum finitur cantus, cum reverentia resumit, faciendo cum illa benedictionem versus populum, una vice: deinde reposita in locum suum, incipit vesperas. Quibus, vel etiam, ubi decantantur, Completorio finitis, Officians accepta Eucharistia incipit cantu:*

Tantum ergo Sacramentum. *Deinde:* Genitori Genitoque.

Choro autem reliqua ad finem prosequente, benedicit populum cum Venerabili Sacramento in formam crucis, una vice. Et eadem qua prius reverentia, reportat ad solitum depositorium, nisi in altari de more, et secure sit relinquendum. Quem proferendi et reponendi modum servabit, quoties per annum usus venerit,

et praecipue in hac solemnitate; in qua insuper retinenda, et ubi desiit, revocanda est laudabilis consvetudo, ut Officians in Prosa, vel Sequentia, adorationem Sacramenti in populo excitet, per inchoationem Versuum:

Ecce panis Angelorum. In figuris praesignatur. Bone Pastor panis vere.

Et statim post, ad verba: Jesu nostri miserere, *facit consvetam benedictionem in formam crucis, una vice.*

DE PROCESSIONE SOLEMNIORI
Ejusdem Festi.

Processio solemnior ipso die Corporis Christi, ut in Epistola Pastorali habetur, fiat hoc ordine: ubicunque plures habentur Ecclesiae, omnes reliquarum, etiam Regulares, Clerici, absolutis in Ecclesiis suis Missis, et Processionibus circa eas factis, atque Eucharistia ex Altari in Sacristiam delata, ad Metropolitanam, Cathedralem, vel Collegiatam celebrem, si quae adest, alias ad Parochialem Ecclesiam, modo et ordine, Cracoviae, juxta consvetudinem S. Romanae Ecclesiae a bon. mem. Card. Radzivill Episcopo Cracoviensi, instituto, ad deducendum inde per plateas Civitatis, vel Oppidi, atque reducendum iterum Sanctissimum Sacramentum processionaliter cum vexillis et crucibus, Regulares quidem habitu Ordinis quisque sui, Clerici minores superpelliceis, Subdiaconi et Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Casulis prae-

tiosioribus induti, habentesque singuli cereos in manibus, quos in processione accendant; ac singulos ordines Sacerdote superpelliceo, stola et pluviali amicto, qui Crucem, aut sacras Reliquias deferat, subsequente, hora a Praelato primariae Ecclesiae illis assignanda conveniant. Ubi etiam Confraternitates saecularium, et societates opificum, cum facibus vel cereis tempestive adsint.

Egrediente a dicta Ecclesia processione, et ad illam revertente, omnes ejus campanae pulsentur: reliquarum autem Ecclesiarum tunc, cum per vicina illis loca Processio transibit.

Processio itaque ipsa ante vel post majorem Missam cum maxima quae adhiberi potest solemnitate, et fidelium applausu, adversariorum vero confusione, progreditur ad forum, vel nobiliorum Civitatum, vicorum, aut pagorum partem; ubi locis aptioribus, debiteque ab invicem distantiae, instruuntur quatuor mensae instar altarium, imaginibus et mundis pannis sacris, ad minus autem uno superiori adornatae. Exeundo ex Ecclesia, inchoat Officians Responsorium.

Homo quidam fecit coenam magnam, et misit servum suum hora coenae dicere invitatis, ut venirent. Quia parata sunt omnia. ℣. Venite comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Quia, etc. Gloria Patri, et Filio, et

Spiritui sancto. Quia etc. *Quo finito canitur:* Twoja cześć chwała, etc.

Ubi ad primum altare perventum fuerit, Sacerdos reverenter deponit super illud Eucharistiam, et adorans, incenso benedicto adolet. Deinde Diaconus vel ministrans, accepta benedictione consveta, cantat in solito tono: Initium S. Evangelii secundum Matthaeum: *ut infra ponitur. Quo finito, officians osculato libro, reverenter recipit Eucharistiam, et conversus ad populum inchoat Responsorium. Et hoc cantu fit progressus ad secundum altare, ubi sicut in reliquis, similem priori stationem faciet, Evangeliis tantum et Responsoriis mutatis, ut sequitur.*

In prima statione Evangelium.

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium Sancti Evangelii secundum Matthaeum,
℟. Gloria tibi Domine.

Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac: Isaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam et fratres ejus: Judas autem genuit Phares et Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron.

Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse: Jesse autem genuit David Regem. David autem Rex genuit Salomonem, ex ea, quae fuit Uriae. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joathan. Joathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam et fratres ejus in transmigrationem Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit

Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Responsorium. Immolabit haedum multitudo filiorum Isràël ad vesperam Paschae. Et edent carnes et azymos panes. ℣. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. Et edent etc.

In secunda statione Evangelium.

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Marcum,
℟. Gloria tibi Domine.

Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, sicut scriptum est in Isaja Propheta. Ecce Ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptisans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judeae regio, et Je-

rosolymitae universi, et baptisabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus: et locustas et mel sylvestre edebat. Et praedicabat dicens: veniet fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptisavi vos aqua: ille verô baptisabit vos Spiritu sancto.

Responsorium. Respexit Elias ad caput suum subcinericium panem, qui surgens comedit et bibit. Et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum. Et ambulavit, etc. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Et ambulavit, etc.

In tertia statione Evangelium.

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Lucam,
℟. Gloria tibi Domine.

Fuit in diebus Herodis Regis Judaeae, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen illius Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela, et non erat illis filius, eo quod Elisabeth esset sterilis: et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suae ante Deum secundum consvetudinem sacerdotii: sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat foris, hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns: et timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: ne timeas Zacharia: quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium: et vocabis nomen ejus Joannem. Et erit tibi gaudium et exultatio: et multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc

ex utero matris suae, et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios: et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

Responsorium. Misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem: Et qui manducat me, vivet propter me. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectûs. Et qui, etc. Gloria Patri, etc. Et qui, etc.

In quarta statione Evangelium.

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Joannem,
℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum: et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat: et vita erat lux hominum: et lux

in tenebris lucet; et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium: ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat: et mundus per ipsum factus est: et mundus eum non cognovit. In propria venit: et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. *Et Verbum Caro factum est*, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiae et veritatis.

Quae quidem Responsoria, suo ordine, vel ut commodius videbitur, in Processionibus quotidianis per hanc octavam erunt decantanda. Quando autem genuflexio est commoda, in Responsorio Melchisedech, ad prima verba: O Jesu! *Sacerdos paululum subsistens, dat cum*

Sacramento benedictionem Clero, et aliis praecedentibus genuflexis: postea ad ultimam eorundem verborum repetitionem, idem facit versus sequentem populum.

In ultima Statione, finito Evangelio, omnibus genuflexis, canitur Antiphona:

O Sacrum convivium in quo Christus sumitur recolitur memoria passionis Ejus, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur, Alleluja.

℣. Posuit fines tuos pacem, Alleluja.

℟. Et adipe frumenti satiat te, Alleluja.

OREMUS.

Deus, qui per praesentiam arcae foederis, domui, et universae substantiae Obededon fidelis tui, largam benedictionem contulisti: concede propitius, ut arca redemptionis nostrae, Christus Jesus filius tuus, hodierno Corporis sui mysterio nos visitans, temporali et aeterna nos benedictione muneretur. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Responsorium. Melchisedech rex Salem, typicum panem et vinum obtulit, Patribus in deserto manna pluit, Israël immolatur, Helias pane subcinericio roboratur, Agno paschae hic Panis coelestis declaratur. O! Jesu pie, nos isto pane dignos effice. O! Jesu Rex, lex, dux clementiae, in hujus panis laude nos perfice. O! Jesu Pater misericordiae nos peccatis solutos, gratiis solatos et solidatos haereditatis paternae exhibe.

In reditu, ante ingressum propriae Ecclesiae, inchoatur Hymnus:

Te Deum laudamus.
Te Dominum confitemur.
Te aeternum Patrem, omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: tibi coeli, et universae potestates.
Tibi Cherubim et Seraphim, incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.
Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.
Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia.
Patrem immensae majestatis.
Venerandum tuum verum, et unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
Tu Rex gloriae Christe.
Tu Patris sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem: non horruisti Virginis uterum.
Tu devictô mortis aculeo, aperuisti credentibus regna coelorum.
Tu ad dexteram Dei sedes: in gloria Patris.
Judex crederis esse venturus.
Te ergo quaesumus tuis famulis subveni: quos praetiosô sangvine redemisti.
Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine.
Et benedic haereditati tuae.
Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignare Domine die istô: sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine: miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos; quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi: non confundar in aeternum.

Interim reposito in Altari venerabili Sacramento, et omnibus genuflexis, cum perventum fuerit ad versum: Salvum fac populum tuum Domine, *Sacerdos recipiens Sacramentum, conversus ad populum, ter illum inchoat, choro perficiente: ita tamen, ut tertia vice addat reliqua verba:* Et benedic haereditati tuae. *Et tunc Eucharistia in forma crucis ducta, more solito populum benedicat. Dumque Chorus reliqua absolvit, deponat Sacramentum in tabernaculum altaris, vel si asservandum erit, solito comitatu et reverentia, ad locum praeparatum deferat. Idem finiendi et asservandi modus teneatur in conclusione hujus solemnitatis, et quoties in aliqua solemnitate, vel gratiarum actione publici, profertur venerabile Sacramentum. Reliquis temporibus, vel in supplicationibus lugubribus, ante asservationem immediate cantetur Antiphona:*

O quam svavis est Domine, Spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes, Alleluja.

Deinde Sacerdos genuflexus dicit:

℣. Panem de coelo praestitisti eis, Alleluja.

℟. Omne delectamentum in se habentem, Alleluja.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sangvinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis, etc.

Deinde inchoato versu: Tantum ergo Sacramentum, etc. *asservat Eucharistiam, ut suo loco dictum est.*

Postremo finita et reducta ad eandem Ecclesiam Processione, omnes tam Clerici, quam laici, eodem ordine quo venerant, revertantur ad suas Ecclesias; quae et ipsae pariter, ubi id fieri commode potest, praeter Processiones quotidie circa Ecclesiam orbi consvetas unam

solemniorem caeteris, Dominica infra octavas, vel in ipsa Octava, per adjacentes sibi vicos, cum populo suo instituant.

Denique in pagis et oppidis, ubi una tantum est Ecclesia, per nobiliorem atque planiorem earum partem, non tamen per campos aut agros, quam decentissime, juxta supra scripta haec eadem processio fiat.

Tempore Adventûs et Quadragesimae, omittitur Alleluja: *ubi alioquin in tali officio est appositum.*

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. V. M.

Benedictio Herbarum et Processio.

Absoluta aspersione, si festum venerit in Dominica, alioquin immediate ante majorem Missam, Officians pluviali solemni indutus, ante altare, conversus ad populum tenentem herbas, vel fructus, incipit voce intelligibili:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde dicit Psalmum 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum praevaluerunt super nos: et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus quem elegisti, et assumpsisti; inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domûs tuae: sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt, qui habitant terminos à signis tuis: exitus matutini et vespere delectabis.

Visitasti terram, et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio ejus.

Rivos ejus inebrians multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus laetabitur germinans.

Benedices coronae anni benignitatis tuae: et campi tui replebuntur ubertate.

Pingvescent speciosa deserti: et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent.

Gloria Patri, et Filio, etc.

℣. Dominus dabit benignitatem,
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Rigans montes de superioribus suis,
℟. De fructu operum tuorum satiabitur terra.
℣. Producens foenum jumentis,
℟. Et herbam servituti hominum.
℣. Ut educas panem de terra,
℟. Et vinum letificet cor hominis.
℣. Ut exhilaret faciem in oleo,
℟. Et panis cor hominis confirmet.
℣. Misit servum suum et sanavit eos,
℟. Et eripuit eos de omnibus intentionibus eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui coelum, terram, mare, et omnia visibilia et invisibilia verbo tuo ex nihilo creasti: quique herbas arboresque ad usus hominum animaliumque terram gignere, et unumquodque juxta sementem in semetipso fructum habere praecepisti; atque non solum, ut herbae animantibus ad victum, sed aegris etiam corporibus prodessent ad medicamentum, tua ineffabili pietate concessisti; te supplici mente et ore deprecamur, ut has diversi generis herbas et fructus, tua clementia bene ✠ dicas, et supra naturalem a te inditam virtutem eis benedictionis tuae novae gratiam infundas, ut ad usum hominibus et jumentis in nomine tuo applicatae, omnium morborum et adversitatum efficiantur praesidium. Per Dominum nostrum, etc.

Deus, qui per Mojsen famulum tuum mandasti filiis Isràél, ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferrent ad Sacerdotes, tollerentque fructus ar-

boris pulcherrimae, et laetarentur coram te Domino Deo suo: adesto propitius invocationibus nostris, et effunde tuae bene ✝ dictionis abundantiam super nos, et super hos manipulos novarum frugum, uvarum, herbarum, et fructuum collectionem, quae cum gratiarum actione tibi representamus, et in nomine tuo in hac solemnitate bene ✝ dicimus: et concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus, et jumentis, contra morbos, pestes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia serpentum, et aliorum venenosorum animalium et bestiarum morsus, necnon quaecunque venena remedium praestent; atque contra diabolicas illusiones, et machinationes, et fraudes tutamen ferant, in quocunque loco positi, vel portati, aut habiti fuerint. Quatenus cum manipulis bonorum operum, meritis beatae Mariae virginis cujus Assumptionis festum colimus, quo ipsa assumpta est, suscipi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.

OREMUS.

Deus, qui virgam Jesse, genitricem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, hodierna die ad coelorum fastigia ideo evexisti, ut per ejus suffragia et patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum, mortalitati nostrae communicares: te supplices exoramus, ut ejusdem Filii tui virtute, ejusque genitricis glorioso patrocinio, istorum terrae fructuum praesidiis, per temporalem ad aeternam salutem disponamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, descendat super has creaturas, et maneat semper. ℟. Amen.

Postea thurificantur herbae, et aqua benedicta asperguntur: et succedat Processio cum cantu Responsorii: Vidi speciosam, etc. *vel alio festo et officio congruenti.*

DE PROCESSIONE DIE DECIMA OCTOBRIS.

Haec Processio in gratiarum actionem, pro victoria de Turcis obtenta, approbata est per Breve Greg. XV, quod habetur ad calcem Synodi Gembicianae.

Observetur ordo hujus Processionis ex Rituali Romano uti pro gratiarum actione, sub titulo: Preces dicendae in processione, pro gratiarum actione. *Addenda tamen erit oratio propria ultimo loco, quae sequitur.*

Domine Deus exercituum, qui interveniente beata Virgine Maria, et sanctis regni nostri Patronis, immanem Turcarum exercitum, in cladem Poloniae congregatum magna cum ignominia repulisti: gratias tibi suppliciter reddimus, majestatem tuam deprecantes, ut à quibus virgam furoris tui avertisti, eosdem ad te verè converti largiaris. Per Dominum, etc.

DE PROCESSIONE GENERALI
pro Fidelibus Defunctis.

Commemoratio universalis omnium fidelium Defunctorum, ex vetustissimo Ecclesiae instituto optimaque ratione, celebratur post festum Omnium Sanctorum. Memoria vero minus universalis propriorum mortuorum, tum secundum locorum consvetudinem, in trinos, septenos, tricesimos, et usque in centesimos dies partiri soleat: nostra Provincia satis commode, in quatuor aequales anni partes illam reduxit. Quibus temporibus in Ecclesia fit Officium pro Defunctis, cum Missa et Processionibus, ad hunc qui sequitur modum.

Die Omnium Sanctorum, et singulis Dominicis, ubi est consvetudo, post quatuor tempora proximis, absoluto Officio diei vespertino, Sacerdos Officians lugubri pluviali indutus, ordinet Processionem circa vel si incommodum erit intra Ecclesiam; cui omissis vexillis praeferatur primo crux, et si fieri potest, duo cerofe-rarii cum luminibus eam praecedant: sequatur consveto ordine Chorus puerorum, Cantorum, et ubi adsunt, Sacerdotum. Succedant ante ipsum Officiantem duo ministri, quorum unus aqua benedicta aspergat obvia sepulchra, alter thuribulo prius benedicto, quatenus commodum erit, incenset: sequatur ultimo populus, qui de ejusmodi officio maturius praemoneri debet.

In primo progressu cantetur cum pulsu campanarum Antiphona.

Absolve Domine animas eorum ab omni vinculo delictorum, non eas tormentum mortis attingat. Non reorum catena constringat, sed miseratio tua in pacis eas ac lucis regione constituat. ℣. Si quae illis sint Domine dignae cruciatibus culpae, tu eis gratiam lenitatis indulge. Non reorum catena, etc.

Quod in reliquis Responsoriis servetur, cantu finito, subsistendo, Officians cum aliis omnibus genuflexus, cantat tono consveto lugubri:

Kyrie elejson. ℟. **Christe elejson, Kyrie elejson.**

Deinde voce intelligibili inchoat Sacerdos:

Pater noster.

Finita ab omnibus in silentio Oratione Dominica, prosequitur.

℣. **Et ne nos inducas in tentationem.**
℟. **Sed libera nos a malo.**
℣. **A porta inferi,**
℟. **Erue Domine animas eorum.**
℣. **Requiescant in pace,**
℟. **Amen.**
℣. **Domine exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣. **Dominus vobiscum,**
℟. **Et cum Spiritu tuo.**

Deinde surgendo, Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos pontificali, seu sacerdotali, et clericali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Dominum nostrum, etc. ℟. Amen.

Simili modo fiant reliquae quatuor stationes, mutatis tamen Responsoriis et Orationibus, hoc ordine:

Ad secundam Stationem Responsorium.

Credo, quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum. Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt. Et in carne mea. etc.

OREMUS.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecepisti, miserere clementer animabus patris ac matris meae, eorumque peccata dimitte, meque eos in aeterna claritate fac videre. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad tertiam Stationem Responsorium.

Qui Lazarum resuscitasti a monumento faetidum. Tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiae. ℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. Tu eis etc.

OREMUS.

Deus veniae largitor, et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres,

propinquos, et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad quartam Stationem Responsorium.

Peccantem me quotidie et non me poenitentem, timor mortis conturbat me. Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei Deus et salva me. ℣. Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me. Quia in infer.

OREMUS.

Deus cujus miseratione animae fidelium requiescunt; famulis et famulabus tuis omnibus, hic et ubique in Christo quiescentibus: da propitius suorum veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ad ultimam Stationem, quae ad altare majus terminari debet, Responsorium.

Libera me Domine de morte aeterna, in die illa tremenda. Quando coeli mo-

vendi sunt et terra. Dum veneris judicare saeculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et timeo dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando. ℣ Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae, dies magna et amara valde. Dum ve. ℣. Requiem aeternam dona eis Domine et lux perpetua luceat eis. Libera me.

OREMUS.

Fidelium Deus omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Demum concludat Sacerdos tono consveto:

Requiescant in pace. ℟. Amen.

Postremo canitur Antiphona: Salve Regina; *cum suo Versu et Collecta.*

DE PROCES. IN TRANSLATIONE
Sacrarum Reliquiarum insignium.

Ecclesia, et viae, per quas transeundum est, quam fieri potest, decentius ornentur. Sacerdotes et Ministri vestibus induti, albi, vel rubri

coloris, prout Sancti quorum Reliquiae transferuntur, exposcunt, et cum luminaribus accensis omnes procedant, decantantes Litanias, cum invocatione Sanctorum, quorum Reliquiae deferuntur, et Hymnum: Te Deum, etc. *pag. 472, et Psalmum:* Laudate Dominum de coelis, etc. *cum duobus sequentibus, et alios Psalmos, et Hymnos de Proprio, vel de Communi eorum Sanctorum, quorum Reliquiae transferuntur.*

EXCEPTIO NOVI ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI.

Ad primum Civitatis ingressum, post consecrationem.

Major Praelatus, sive Rector Ecclesiae, superpelliceo et pluviali pretiosiore indutus, cum suo Clero, et universo populo, praecedentibus vexillis et candelis, ac Sacerdotibus Reliquias deferentibus, novum Antistitem ad primum ingressum post consecrationem excepturus, extra Civitatem processionaliter vadat, usque ad Oratorium, seu locum aliquem decentem, in quo mensa (ubi Altare nullum est) strata sit, ad reponendum in eam Sanctorum Reliquias.

Tunc Praelatus seu Rector, flexis ad eandem mensam genibus, crucem, aut alias Reliquias, Episcopo postquam Offertorium fecerit, similiter genua flectenti, exosculandas, debita reverentia porrigat. Et tunc cum cantu Responsorii: Posui adjutorium super potentem, etc. *usque in Ecclesiam deducatur.*

Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, Oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei.

Quod si non sufficiat, cantatur etiam Responsorium de Patrono Ecclesiae illius, resonantibus interim Ecclesiae campanis. Ingrediente autem Episcopo Ecclesiam, mox solemniter incipiatur Canticum: Te Deum laudamus, *pag. 472. Ibidemque statim Praelatus offert Episcopo reverenter aspersorium cum aqua benedicta, quo aspergit Episcopus primo seipsum, deinde alios. Tum deducitur ad altare majus, ubi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato, sive Cathedra parata procumbit, vel alias, ad pedem ejusdem altaris genua flectit, et orat. Finito autem cantico, Praelatus ejusdem Ecclesiae, super eo in cornu Epistolae altaris versus ad orantem dicat.*

℣. Exaltent eum in Ecclesia plebis,
℟. Et in cathedra seniorum laudent eum.
℣. Mitte ei auxilium de sancto,
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus omnium fidelium Pastor et Rector, famulum tuum Episcopum nostrum, quem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea surgens Episcopus assumpta stola, ascendit ad altare, illudque in medio exosculatur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo, dicens:

℣. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater †, et Filius †, et Spiritus † sanctus. ℟. Amen.

Quibus sic peractis, Praelatus, Sacerdotes, et alii, depositis paramentis comitantur Episcopum ad Palatium suum, seu Diversorium.

INTRODUCTIO NOVI PLEBANI SEU BENEFICIATI.

Executor requisitus a Plebano seu Beneficiato, vigore tituli sui, visis autenticis et originalibus litteris investiturae, seu provisionis illius, curet convocari Clerum et populum pro testimonio, per pulsum campanae majoris. Et intronisandus indutus superpelliceo et stola, flectat genua ante fores Ecclesiae: et introducens ipsum similiter indutus et genua flectens, dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,
℟. Qui fecit coelum et terram.

Et oret cum ipso Psalmum infra positum quilibet suum versum.

Psalmus 50.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea; et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proijcias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tuis: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntatate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Finito Psalmo dicant simul:

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. *Pater noster. Ave Maria, etc.*

Et surgens introducens, dicat:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Sacerdotes tui induantur justitiam,
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Salvum fac servum tuum,
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Deus custodiat introitum et exitum tuum,
℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

OREMUS.

Praetende Domine, famulo tuo, dexteram coelestis auxilii; ut te toto corde perquirat, et quae digne postulat, consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea tradat ei claves Ecclesiae dicens:

Accipe has claves, ut iisdem aperias ac claudas, quibus et quando oportet: in nomine Domini.

Aperto posthac per eum ostio, inducat eum, porrecta ei stola, executor, dicens:

Ingredere in Domum Dei, cujus pietate ad ministerium ipsius vocatus es, ut cum grege tibi credito, vitam ingredi merearis sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et aspergat eum aqua benedicta. Deinde praecedente Clero, qui hactenus intra Ecclesiam ad fores praestolabatur, vadunt ad summum altare, ubi ambo genua flectentes, facta brevi Oratione, ascendunt ad planum altaris. Et tunc executor, intronisando modicum inclinato ad altare, tangentique ambabus manibus ipsum altare, in medio tradat possessionem, dicens:

Authoritate et mandato Domini nostri Reverendissimi N. Episcopi N. Mitto te

in corporalem et actualem hujus Ecclesiae possessionem, constituens te Rectorem ejus in spiritualibus et temporalibus, ac curam animarum illius tibi committens, quam ita administrabis in animam tuam, ut in die judicii, Deo rationem administrationis tuae reddere valeas Et propterea tibi de ipsius fructibus et obventionibus, ab his quorum interest, responderi jubeo: in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. ℟. Amen.

Quo peracto, intronisatus facto signo Crucis in medio altaris, exosculetur illud, et si adest Clerus, cantetur Antiphona de Patrono Ecclesiae cum Versu et Collecta, quam novus Rector dicat. His peractis. pulsentur omnes campanae, decantetur: Te Deum laudamus, *pag,* 472. *Demum Executor, aut alius quispiam ad hoc idoneus, commendet eum populo, et jubeat, ut illi tanquam Rectori de caetero obediant, et de omnibus proventibus et juribus, integre respondeant. Si vero authoritate Papae possessio danda est, dicatur:*

Authoritate et mandato Sanctissimi Domini nostri Papae N. mitto te in corporalem, etc.

Postremo de Ecclesia intrando domum Plebani, dicat Executor:

℣. Pax huic domui,

℟. Et omnibus habitantibus in ea.

OREMUS.

Visita quaesumus Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In simplicibus vero beneficiis, ut pote: Vicariis et Altaristis ac caeteris, Executor, ut supra, et inducendus, superpelliceo induti coram Notario (si haberi possit) et testibus ad hoc rogatis, et praesentibus aliquibus ejus Ecclesiae Beneficiatis, si qui sint, vadunt ad altare beneficii ubi genua flectunt, factaque brevi oratione, Executor tradat possessionem Beneficiato, dicens:

Authoritate et mandato Domini nostri Reverendissimi Episcopi N. mitto te in corporalem et actualem hujus Vicariae (Altaris) Sancti N. possessionem, committens tibi administrationem spiritualem et temporalem ipsius, cujus administrationis rationem in die judicii te Domino redditurum scias. Jubeo praeterea tibi de ipsius fructibus et obventionibus, ab

his quorum interest, responderi. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Quo peracto, intronisatus facto signo Crucis in medio altaris, exosculetur illud; postremo Executor aspergat eum aqua benedicta.

Notandum autem, si is, qui introducitur, circa suam institutionem in manibus Episcopi vel ejus Vicarii non fecit professionem fidei, juxta S. Concilii Tridentini praescriptum; faciat coram altari ante orationem praefatam supra se dicendam. Quae quidem Professio talis est.

Ego N. firma fide credo et profiteor, omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex patre natum ante omnia saecula: Deum de Deo: lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de

coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est: et resurrexit tertia die secundum scripturas: et ascendit in coelum, sedet ad dexteram patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex patre filioque procedit; qui cum patre et filio, simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam, et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma, in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi, Amen. Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item sacram scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum patrum

accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis, a Jesu Christo, Domino nostro, instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem, et matrimonium; illaque gratiam conferre: et ex his baptismum, confirmationem et ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto: omnia et singula, quae de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium, et propitiatorium sacrificium, pro vivis, et defunctis: atque in sanctissimo eucharistiae Sacramento esse, vere, realiter, et substantialiter, corpus et sangvinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiae panis, in

corpus, et totius substantiae vini, in sanguinem; quam conversionem catholica ecclesia transsubstantionem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem, a Christo in ecclesia relictam fuisse; illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam, et apostolicam Romanam ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem, et magistram agnosco; romanoque pontifici, beati Petri, Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera,

item omnia, a sacris canonibus, et oecumenicis conciliis, ac praecipuè a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque haereses quascunque, ab ecclesia damnatas et rejectas, et anathematisatas; ego pariter damno, rejicio, et anathematiso. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro: Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.



INDEX
RITUALIS SACRAMENTORUM.

—

PARS PRIMA.

pag.
Quae in Sacramentorum administratione generatim servanda sunt ... 5
De Sacramento Baptismi ritè administrando ... 9
Benedictio salis baptismalis ... 21
Ordo Baptismi parvulorum ... 22
— — adultorum ... 42
— supplendi omissa super baptisatum ... 92
Ritus servandus cum Episcopus baptisat ... 104
Benedictio fontis baptismi extra sabbatum Paschae cum aqua consecrata non habetur ... 106
De Sacramento poenitentiae ... 111
Ordo ministrandi Sacramentum poenitentiae ... 113
Forma absolutionis ... 117
De absolutione ab excommunicatione in foro externo ... 119
Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum. 122
Modus absolvendi a suspensione vel interdicto. . 124
De ss. Eucharistiae Sacramento ... 126
Ordo ministrandi s. Communionem ... 129
De Communione Paschali ... 134
— — Infirmorum ... 136
Akty przed i po Kommunii ś. ... 148
De Sacramento Matrimonii ... 161
Ritus celebrandi Sacramentum Matrimonii ... 166
Benedictio novae nuptae post nuptias ... 183
— mulieris post partum ... 186
De Sacramento Extremae Unctionis ... 191
Ordo ministrandi Sacramentum extremae uncton. 195
De visitatione et cura infirmorum ... 216
Modus juvandi morientes ... 223
— applicandi indulgentias moribundis ... 226
Affekty nabożne, które można poddawać chore. 239
Akty wiary, nadziei i miłości ... 246
Akty w skonaniu ... 248
Wyznanie wiary ś.. katolickiéj ... 257

pag.
Ordo commendationis animae 272
De Exequiis 292
Quibus non licet dare sepulturam ecclesiasticam. 294
Ordo Exequiarum 295
Conductus major 295
Ordo Exequiarum brevior 303
De Exequiis absente corpore.................. 304
De Exequiis parvulorum....................... 306
Formulae describendi in libris baptisatos, copulatos, defunctos, etc 313
Formulae extrahendi ex libris baptisatos, copulatos, defunctos, etc....... 319

PARS SECUNDA.

De Benedictionibus regulae generales 321
Benedictio Aquae diebus Dominicis............. 322
In festo S. Stephani. Benedictio Avenae........ 326
— S. Joannis Ev. Benedictio Vini........ 329
— Epiphaniae Benedictio Auri, etc........ 333
Benedictio Candelarum extra diem Purif. B.V.M. 335
Benedictio domorum in Sabbatho S. Paschae.... 339
— — quovis tempore facienda ... 340
Alia benedictio domus novae 342
Benedictio Loci 343
— S. Agathae. Benedictio Panis et aquae.. 336
— thalami.......................... 343
— novae navis....................... 344
— super fruges et vineas 345
— peregrinorum ante et post reditum ... 346
— novae nuptae post nuptias 183
— mulieris post partum 186
— infirmorum........................ 220
— Agni Paschalis.................... 354
— ovorum.......................... 355
— Panis 355
— novorum fructuum................. 356
— ad quodcunque comestibile et potabile 357
— novae Crucis 357
— imaginum quarumlibet 358
— Numismatum 360
— Rosariorum vel Coronarum 362

pag.
Benedictio Scapularis vel Habitus.............. 364
— Olei simplicis.......................... 365
— generalis ad quaecunque volueris.... 367
— Sacerdotalium indumentorum......... 368
— Mapparum altaris.................... 370
— Corporalium.......................... 371
— Vasculi pro ss. Eucharistia conservan. 373
— Pallarum, Corporalium, et post eorum ablutionem.................................. 373
Ritus benedicendi et imponendi primarium lapidem pro Ecclesia........................... 374
Ritus benedicendi novam Ecclesiam aut Orator.. 383
— reconciliandi Ecclesiam violatam......... 390
— reconciliandi Coemeterium violatum 398
— benedicendi novum Coemeterium 395
Casus in quibus Ecclesiae, Coemeteria et Altaria, consecrari, aut reconciliari debent........... 401
De his quae tempore interdicti prohibentur 404

DE PROCESSIONIBUS.

Aspersio et Processio die Dominico........... 406
Die Purificationis B. V. M..................... 411
Die Cinerum... 413
Litaniae de omnibus Sanctis 414
Dominica Palmarum 421
— Resurrectionis apertio sepulchri 429
Processio Paschatis 435
— in festo Assumpt. B.V. M. 476
— Die 10 Octobris 481
In festo S. Marci Evangelistae 437
De Litania minori diebus rogationum....... . . . 454
— Ascensionis Domini.................. 455
Dominica Pentecostes............................ 457
In solemnitate Corporis Christi Domini 459
De processione solemniori ejusdem festi. 462
In die fidelium defunctorum..................... 482
In Translatione ss. Reliquiarum................ 487
Exceptio novi Archi Episcopi et Episcopi....... 488
Introductio novi beneficiati...................... 491
Professio fidei 497

Benedictus Herbann 476.

pag.
364
365
ris.... 367
368
370
371
servan. 373
eorum
373
m lapi-
374
rator.. 383
390
398
395
Altaria,
401
r.... 404
406
411
413
414
421
429
435
476
481
437
454
455
457
459
462
482
487
488
491
497

ADDITAMENTUM

QUARUMDAM BENEDICTIONUM

PRO ALIQUIBUS LOCIS, UBI ADEST OPPORTUNA LICENTIA SEDIS APLICAE *V.* LOCI ORDINARII, JUXTA DECRETA S. RITUUM ET INDICIS CONGREGATIONIS.

BENEDICTIO

contra mures, locustas, brucos et vermes noxos, a Benedicto XIV approbata.

Antiph. Exurge Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum.

Psalmi. Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.

℣. Gloria Patri, etc. *et repetitur Antiph.*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Preces nostras, quaesumus Domine, clementer exaudi, ut, qui juste pro peccatis nostris affligimur, et hanc murium *(vel locustarum vel vermium)* persecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea misericorditer liberemur, ut tua potentia procul expulsi *(vel expulsae)* nulli noceant, et campos, agrosque nostros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis surgentia et orta, tuae majestati deserviant, et nostrae necessitati subveniant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, omnium bonorum remunerator, et peccatorum maximus miserator, et in cujus nomine omnia genuflectuntur, coelestia, terrestria, et infernalia; tua potentia nobis

peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua misericordia confisi agimus, per tuam gratiam efficacem consequamur effectum, quatenus hos pestiferos mures *(vel locustas, vel vermes)* per nos servos tuos maledicendo maledices, segregando segreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam, ab hac peste liberati, gratiarum actiones majestati tuae libere referamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Exorciso vos pestiferos mures *(vel locustas, vel vermes)*, per Deum Patrem omnipotentem †, et Jesum Christum Filium ejus †, et Spiritum sanctum ab utroque procedentem †, ut confestim recedatis a campis, et agris nostris, nec amplius in eis habitetis, sed ad ea loca transeatis, in quibus nemini nocere possitis, pro parte omnipotentis Dei, et totius curiae coelestis et ecclesiae sanctae Dei, vos maledicens, ut quocunque jeritis, sitis maledicti, *(vel maledictae)* deficientes de die in diem in vos ipsos *(vel ipsas)* et decrescentes, quatenus reliquiae de vobis nullo in loco inveniantur, nisi necessariae ad salutem, et usum

humanum, quod praestare dignetur, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Postea aqua benedicta aspergantur loca infecta.

MODUS BENEDICENDI APES.

Antequam accedat ad locum ubi consistunt Apes, Sacerdos elicito actu contritionis, ac tandem veniens ad locum, dicat: Veni sancte Spiritus etc. cum Oratione sua. *Tandem accepta aqua benedicta, aspergat locum totum, ubi Apes consistunt, et aspergendo dicat Psalmos:* Miserere mei Deus, *ut in Psalterio Breviarii Feria 2da ad laudes:* Ad Dominum cum tribularer clamavi, *ut in Breviario, Feria 2da ad Vesperas.* Ad te levavi oculos meos: *ut in Breviario Feria 3tia ad Vesperas. Tandem genuflexus dicat:* Litanias de omnibus ss. *cum oratione:* Deus cui proprium.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

OREMUS.

Creator omnium Deus, qui semina sanctificare et multiplicare facis, et in usus nostros misericorditer concedis

pervenire, supplicationes nostras placatus intende, ut Apes bene † dicere, et sancti † ficare tua benignitate digneris, ut copiosius mittant effectus suos, quatenus ad Ecclesiam tuam, sanctorumque Altarium tuorum decorem et ornatum, atque etiam ad usus nostros perveniant. Per Christum Dominum, etc.

OREMUS.

Deus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus beneficium subrogasti, quique tua ineffabili misericordia ad usus nostros ipsarum Apum fructus et opera convertere docuisti, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut bene † dicere digneris has apes, et ad humani generis proventum multiplicare, custodire, et educare, ut quisque majestati tuae, et immensae largitati tuae, et horum animalium educationem ministerialitate cooperando sola spe tuae benignitatis innititur, et sui laboris mereatur uberes fructus accipere, et coelesti benédictione repleri. Per Christum Dominum, etc. *Dicatur Evangelium S. Joan-*

nis. In principio, etc. quo finito, aspergatur iterum locus aqua benedicta.

BENEDICTIO RETIS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Quaesumus, Pater omnipotens aeterne Deus, ut mittere digneris benedictionem tuam † sanctam in istud Rete, quod benedicimus † in sancto tuo nomine, et Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, quemadmodum benedicere dignatus es, sanctorum Apostolorum tuorum Rete, cum dixisti eis: mittite in dexteram navigii Rete, et invenietis, impletumque est multitudine piscium; fac hoc, non propter nostra merita, sed propter tuam clementiam, et adjuvare digneris tua gratia, ut de tuis donis tibi semper gratias agamus, qui es benedictus in saecula saeculorum.

℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

BENEDICTIO HORREI.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

OREMUS.

Adsit nobis quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum Jesum, etc. Amen.

Kyrie elejson, Christe elejson, Kyrie elejson. *Pater noster, etc.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos,

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui ubique es praesens, majestatem tuam suppliciter exoramus ut huic horreo gratia tua adesse dignetur, quae cuncta adversa ab eo repellat, abundantiam bene † dictionis tuae super illud largiter effundat. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc. Amen.

Aspergat dicendo:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa † tris, et Fi † lii, et Spi † ritus sancti, descendat super hoc horreum et super ea, quae in illo reponentur. ℟. Amen.

BENEDICTIO

Sertorum de variis Herbis ac Floribus.

In Festo SS. Corporis D. N. Jesu Christi.

Psalmus 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum praevaluerunt super

nos: et impietatibus nostris Tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti et assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuae: sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate.

Exaudi nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terrae, et in mari longe.

Praeparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini, et vespere delectabis.

Visitasti terram, et inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis: parasti cibum illorum: quoniam ita est praeparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus laetabitur germinans.

Benedices coronae anni benignitatis tuae: et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti; et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Gloria Patri et Filio, etc.

℣. Dominus dabit benignitatem,
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Rigans montes de superioribus suis,
℟. De fructu operum tuorum satiabitur terra.
℣. Producens foenum jumentis,
℟. Et herbam servituti hominum.
℣. Ut educas panem de terra,
℟. Et vinum laetificet cor hominis.
℣. Ut exhilaret faciem in oleo,
℟. Et panis cor hominis confirmet.
℣. Misit verbum suum et sanavit eos,
℟. Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui

coelum, terram, mare, visibilia et invisibilia verbo tuo ex nihilo creasti, quique herbas arboresque ad usus hominum animaliumque, terram gignere et unumquodque juxta sementem in semetipso fructum habere, praecepisti: atque non solum ut herbae animantibus ad victum, sed aegris etiam corporibus prodessent ad medicamentum, tua ineffabili pietate concessisti: Te supplici mente et ore deprecamur, ut has diversi generis herbas tua clementia benedicas † et supra naturalem a te inditam virtutem eis benedi † ctionis tuae novae gratiam infundas: ut ad usum hominibus et jumentis in nomine tuo applicatae, omnium morborum et adversitatum efficiantur praesidium. Per Dominum, etc. Amen.

OREMUS.

Deus, qui varii generis herbas et flores ad usum hominum et pabulum jumentorum de terra producere dignaris; adesto propitius invocationibus nostris, et infunde tuae benedi † ctionis

abundantiam super nos et super herbarum et florum istorum collectionem, quae cum gratiarum actione Tibi repraesentamus, quatenus cum manipulis bonorum operum, meritis infiniti valoris Salvatoris et Domini nostri Jesu Christi, cujus solemnitatem sacratissimi corporis devoto corde celebravimus, ad aeterna gaudia suscipi mereamur. Per eundem Dominum nostrum, etc. Amen.

OREMUS.

† Benedic Domine Jesu Christe has diversi generis herbas et flores, et infunde eis perpetuam virtutem, tuam sanctissimam benedi † ctionem coelestem, ob majorem honorem sacratissimi corporis et sanguinis tui, cujus solemnitatem devota mente et humili corde recolimus, ut quicunque ex eis subfumigatus fuerit, vel apud se ea reverenter habuerit, inimicus ei nocere non possit: et in quibuscumque locis respersa vel posita fuerint; ad salutem corporis et animae conducant: recedat et contremiscat diabolus, et fugiat, nec praesumat am-

plius illudere vel inquietare creaturas tuas. Benedicamini † igitur omnes hic praesentes herbae et flores in nomine SS. Trinitatis, et in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut sitis exterminatio diabolica et omnium contubernalium ejus, ac quorumcunque morborum, nocumentorum, maleficiorum, veneficiorum, atque omnium similium: sitque vobis praesidium potentissimum Sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. ℟. Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris †, et Filii †, et Spiritus sancti † descendat super has herbas et flores, et maneat semper. Amen.

Et thurificantur et aqua benedicta asperguntur.

DE IMPOSITIONE MANUUM

SACERDOTIS SUPER ÆGROS.

Ex consvetudine Ecclesiarum Litvaniae ad usum earumdem Ecclesiarum.

Sacerdos facta contritione et intentione ad

formam et Ritum Sanctae Romanae Ecclesiae catholicae, in meritis et virtute Apostolorum et aliorum sanctorum, cum plena fide, fiducia et devotione, sequentes Orationes et Benedictiones proferat super aegros, pro temporis opportunitate et aegrotantium desiderio.

Impositio manuum super Aegros Infantes.

Sacerdos imponat dextram manum super caput infirmi et dicat:

Super Aegros manus imponent et bene habebunt. Jesus Mariae Filius, mundi salus, et Dominus, meritis et intercessione sanctorum Apostolorum suorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, sit tibi clemens et propitius ℟. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui parvulos tibi oblatos, ad te venientes complexabaris *(hic ponat manus super caput*

singulorum puerorum et puellarum) manusque super illos imponens benedicebas atque dicebas: Sinite parvulos venire ad me, et nolite prohibere illos: talium est enim Regnum Coelorum, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: respicere, quaesumus, ad pueri praesentis (vel puerorum et puellarum praesentium), innocentiam, et ad suorum parentum devotionem, et clementer eos per ministerium meum bene † dic, ut in tua gratia et tua misericordia semper proficiant, te diligant, te timeant, mandata tua custodiant, et ad finem optatum feliciter perveniant. Per Te Jesu Christe salvator mundi, qui vivis et regnas Deus, etc. Amen

Benedictio Dei Pa † tris omnipotentis, et Fi † lii, et Spi † ritus sancti, descendat super vos, et dirigat vos, et maneat semper vobiscum. Amen.

OREMUS.

Quaesumus omnipotens Deus, pueris istis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, bene † dicere dignare, et

per virtutem sancti Spiritus corda eorum corrobora, vitam sanctifica, castimonia decora, et sensus eorum in bonis operibus muni, et informa, prospera tribue, pacem concede, salutem confer, charitatem largire, et ab omnibus diabolicis, atque humanis insidiis tua protectione et virtute semper defende, et in finem ad requiem paradisi eos perduc. Per Dominum nostrum, etc.

Postea dicat:

℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Initium sancti Evangelii secundum Joannem, etc. pag. 469.
℟. Gloria tibi Domine.

Faciens signum Crucis de more super se in fronte, ore et in pectore.

Postea subjungat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris † et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te (vel vos) et maneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

IMPOSITIO
manuum super aegros adultos.

Sacerdos imponat dexteram manum super caput infirmi et dicat:

Super aegros manus imponent, et bene habebunt. Jesus Mariae Filius! mundi salus et Dominus, meritis et intercessione sanctorum Apostolorum suorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum; sit tibi clemens et propitius. Amen.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Domine exáudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui discipulis tuis dedisti potestatem super aegros manus imponendi, ut bene habeant: da quaesumus ut quod vita nostra non mereatur, id nobis virtute ordinis Sacerdotalis, et meritis ac precibus sanctorum Apostolorum

Petri et Pauli, omniumque ss. concedatur: quo per impositionem manuum nostrarum hic famulus tuus (aut famula) ab omni infirmitate mentis et corporis liberetur, et post hanc vitam, gaudia aeterna consequatur. Per Christum Dominum, etc.

OREMUS.

Deus humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui nos servos tuos non nostris meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae ad sacerdotale officium vocare dignatus es: da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuae est potestatis, operare, atque intervenientibus precibus et meritis sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omniumque SS. tuorum concede propitius, ut hic famulus tuus, in infirmitate corporis constitutus, per tuam benedictionem, manuumque nostrarum impositionem, ab eadem citius liberetur; et peccatorum suorum remissione percepta, integra mentis et corporis sanitate laetetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui fragilitatem humanae conditionis, infusa virtutis tuae dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuae corpora nostra et mentes vegetentur, super hunc famulum tuum propitius intende, ut omni necessitate corporeae infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinae sanitatis perfecte reparetur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Legatur demum Initium S. Evangelii secundum Joannem, ut supra in benedictione parvulorum, quo finito, subjungat dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Pa†tris, et Fi † lii, et Spi † ritus sancti, descendat super te et maneat semper. Amen.

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

BENEDICTIO AGRORUM.

Haec benedictio peragitur processionaliter circum oppida vel circum agros et vineas. Sacerdos igitur benedicturus agros, habeat juxta se crucem et aquam jam antea solemniter benedictam.

AD PRIMAM STATIONEM

Dum processio ad primum locum substiterit,

Sacerdos cum clericis cantet, vel alta et clara voce dicat Psalmum:

Benedixisti Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Convertere nos Deus Salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem.

Deus tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: et Salutare tuum da nobis.

Audiam, qui loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius; ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri et Filio etc.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam,
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Dominus dabit benignitatem,
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

O R E M U S.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater misericordiae, aspice quaesumus nostram quotidianam indigentiam et mensam sufficientem victui nostro benigniter elargire. Magnifica super nos Nomen sanctum tuum, et super agros, vineas et hortos nostros copiosissimam tuam bene✝dictionem effunde ut cuncti labores, famulorum tuorum, arboresque et plantationes nostrae plenae fructificent. Averte piissime Deus a finibus nostris noxia sidera, frigora, tempestates grandines, imbres, aquarum alluviones, et quidquid mali humanis subsidiis patent nocere. Per Dominum nostrum Jesum etc.

IN CANTU DICAT.

℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

✝. *Sequentia S. Evangelii secundum Matthaeum.*

In illo tempore abiit JESUS per sata Sabatho: Discipuli autem ejus esurientes coeperunt vellere spicas et manducare. Pharisei autem vi-

dentes dixerunt Ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet iis facere Sabathis? et ille dixit eis: non legistis quid fecerit David quando esuriit, et qui cum eo erant, quando intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat Ei edere, neque iis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus; aut non legistis in lege, quia Sacerdotes in templo Sabathum violant et sine crimine sunt. Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis quod misericordiam volo et non sacrificium, nunquam condemnaretis innocentes. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabathi.

OREMUS in CANTU.

Pietatem tuam quaesumus omnipotens Deus, ut has fruges quas aeris et pluviae temperamento nutrire dignatus es, bene✝dictionis tuae imbre perfundas. Tribue Domine populo tuo de tuis muneribus tibi semper rependere gratias; et a sterilitate terrae esurientium animas averte ut pauper et inops, dives et potens, laudent nomen gloriae tuae. Per Dominum nostrum etc.

CONJURATIO.

DICATUR SINE CANTU.

Conjuro vos aëres tempestates per Deum ✝ vivum, per Deum ✝ verum, per Deum ✝ Sanctum ut non jactetis grandines in possessiones et vineas nostras. Ego enim Sacerdos Dei, quamvis indignus, praecipio vobis et omnibus

daemonibus, atq. malignis hominibus, in nomine Sanctissimae Trinitatis, Pa✝tris et Fi✝lii, et Spiritus✝Sancti, ne noceatis possessionibus et agris nostris; sed proiciatis grandines et tempestates vestras in loca deserta; vel immergatis in mare, sine damno alicujus persona vel jumenti, et hoc praecipio vobis per tremendum tribunal Domini Nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem. Amen.

BENEDICTIO

DICATUR SINE CANTU.

Bene✝dicat nos Deus, Deus✝noster, Bene✝dicat nos Deus; et terrae nostrae ubertatem concedat, in centuplum crescere faciat fructus ejus, ut venientes in exultatione manipulos nostros cum gratiarum actione colligamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Aspergatur illa pars camporum aqua benedicta.

AD SECUNDAM STATIONEM.

PSALMUS.

In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum· facti sumus laetantes.

Converte Domine captivitatem nostram: sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrimis: in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant: mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam,
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Dominus dabit benignitatem,
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, te supplices deprecamur, ut misericordia tua annuente concedas nobis messium copiam fructuum agrorumque largitatem, vinearum substantiam, arborum fructus, proventusq. omnium rerum. Et ab his omnibus pestiferum sidus, tempestatem, frigora et grandines amovere digneris. Per Dominum nostrum etc.

In cantu dicitur.

℣. Dominus vobiscum:
℟. Et cum Spiritu tuo.

†. *Sequentia S. Evangelii secundum Marcum.*

In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: simile est regnum Dei, quemadmodum si ho-

mo jaciat sementem in terram, et dormiat et exurgat nocte et die et semen germinet et increscat dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica, et cum produxerit fructus, statim mitit falcem, quoniam adest messis. Et dicebat: simile est regnum coelorum grano sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, ascendit, et fit majus omnibus oleribus et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves coeli habitare.

O r e m u s.

Multiplica quaesumus Domine, super nos misericordiam tuam, et super has fruges nostras veniat desiderata bene✝dictionis ubertas: ut repleti necessariis subsidiis Nomen sanctum gloriae tuae semper exultemus Dominum nostrum, etc.

CONJURATIO

DICATUR ALTA VOCE SINE CANTU.

Conjuro vos nubes et grandines, ac praecipio vobis per Deum ✝ Patrem, per Deum ✝ Filium, per Deum Spiritum ✝ Sanctum, necnon per sacram humanitatem Domini Nostri Jesu Christi, per gloriosa merita beatissimae Virginis Mariae, per excelsas virtutes omnium Apostolorum, per terribiles passiones omnium Martyrum, per sacratissimam castimoniam omnium Virginum, et per summam perfectionem omnium Sanctorum, similiter praecipio per impe-

riabile verbum, quod fecit CHRISTUS ventis ut cessarent; per sacram obumbrationem, quam fecit Spiritus S. in utero Virginis Mariae; per mirabilem divisionem quam fecit potentia Divina in mari rubro; et per virtutem Crucis Christi, cujus signum ✝ contra vos facio, per haec omnia conjuro vos, o nubes et daemones, et tempestates, in agros, vineas et possessiones nostras quas ego Sacerdos Dei, bene ✝ dico et signo Sanctae Crucis ✝ communio: In Nomine Pa ✝ tris et Fi ✝ lii, et Spiritus ✝ Sancti. Amen.

BENEDICTIO.

Bene✝dic Domine *terram istam* ut det fructum bonum in tempore suo: nullusq. spiritus procellarum possit eam turbare, super quam invocatum est nomen sanctum tuum, et bene✝dictio sacratissimae Trinitatis omniumque Sanctorum Dei. Amen.

Asperguntur campi aqua benedicta.

AD TERTIAM STATIONEM.

PSALMUS.

Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus: Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

Aedificans Jerusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde: et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum: et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster et magna virtus ejus: et sapientiae ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

Praecinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit coelum nubibus: et parat terrae pluviam.

Qui producit in montibus foenum: et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum: et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum: et in eis qui sperant super misericordia ejus.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam,
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Dominus dabit benignitatem,
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, mitte sanctum angelum tuum de cœlis ut defendat segetes, fruges, et fructus nostros, ab imbribus nubium, a fulguribus tempestatum a nocumento avium, a corrosione murium, ab infectione

vermium, et ab omnibus infestationibus daemonum, conservet possessiones nostras, custodia sua sancta, et sit murus igneus in circuitu eorum. Bene † dictione sua angelica bene † dicat et multi † plicet proventus nostros, ut nomen sanctum tuum aeternaliter benedicamus vobiscum.

DICITUR IN CANTU.

† *Sequentia S. Evangelii secundum Lucam.*

In illo tempore, cum turba plurima conveniret ad Jesum et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: exiit qui seminat seminare semen suum, et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Et haec dicens clamabat: qui habet aures audiendi audiat.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui molem mundi ex nihilo pendentem gubernas, et ad victum humani generis agros excoli mandas: misericordiam tuam supplices exoramus: ut quidquid in hos agros et hortos salubris seminis satum atque plantatum est, aspectu tuæ clementiæ respicias, et aëris temperiem moderatam tribuere

digneris, atque absorpto omnium tribulorum spinarumque squalore, fruges fœcundas efficias, et ad temporis opportunitatem perfecte maturescere tribuas. Ut nos famuli tui, uberrimis donis tuis refecti, Te digne laudare mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, etc.

CONJURATIO

DICITUR ALTA VOCE SINE CANTU.

Conjuro vos procellas et ventos per clavos et lanceam, quæ manus, pedes et pectus Christi perforarunt, et ex his sacris vulneribus copiosissimum sanguinis et aquæ imbrem emanare fecerunt, ut nunquam noceatis his agatis, vineis, hortis, arboribus, pratis, campis, silvis, nec cuicumque rei ad hominum usus necessariæ et utilis. Similiter conjuro vos daemones, ego Sacerdos Dei, quamvis indignus, authoritate sacerdotali qua fungor, et præcipio vobis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in virtute Passionis ejus, ut non habeatis potestatem in nubibus cœli nec mittendi grandines, nec excitandi fulgura, nec procurandi tonitrua, nec efficiendi quaecunque mala: sive per vos ipsos, sive per socios vestros. In Nomine Pa✝tris et Fi✝lii et Spiritus Sancti. Amen.

Benedictio.

Benedicat vos fruges Deus † Pater, benedicat vos Deus † Filius: benedicat vos Deus † Spiritus Sançtus, crescite et multiplicamini et replete horrea et cellas nostras, in honorem Dei omnipotentis et omnium Sanctorum. A.

Aspergatur illa pars camporum aqua benedicta.

AD QUARTAM STATIONEM.

DICITUR PSALMUS IN CANTU.

Lauda Jerusalem Dominum: Lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit.

Emittet verbum suum; et liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: justitias et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: et judicia sua non manifestavit eis.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam,

℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Dominus dabit benignitatem,
℟. Et terra nostra dabit fructum suum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Creator universorum Deus, qui Moysi famulo tuo dixisti: dic filiis Israel, cum ingressi fueritis terram, quam Dominus Deus daturus est tibi, primitias frugum tuarum offeres sacerdoti et ipse elevabit eas coram Domino: rogamus immensam clementiam tuam, ut has fruges, botros, segetes, olera, legumina et herbas, bene ✝ dicere, conservare, et ad maturitatem perducere digneris, ut primitias illorum tibi tuisque Sacerdotibus, et pauperibus terræ elargiri, et alimenta nobis et pecoribus nostris necessaria exinde haurire veleamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum etc.

Cantando dicitur.

✝ Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore; dixit Jesus discipulis suis: nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit. Ecce dico vobis levate oculos vestros, et videte regiones quia jam al-

bae sunt ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam, ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt et vos in labores eorum introistis.

Oremus.

Domine Sancte Pater, qui cœlum et terram creasti et indesinenter tua providentia gubernasti et conservasti; suppliciter te rogamus ac petimus, ut tua incomparabili bonitate hos agros, vineas, arbores, segetes et silvas bene✝dicere eisque fertilitatem tribuere digneris: quatenus nos famuli et famulæ tuæ ad sustentationem ac solamen corporum et ad spiritualem refectionem animarum exinde vivere, tibique fideliter servire valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat etc.

CONJURATIO.

Conjuro vos daemones, ego peccator, et Christi sacerdos indignus, authoritate et virtute ejusdem Domini nostri Jesu Christi summi regis et imperatoris nostri, non mea potentia nisus aut confisus. Adjuro vos, in quam et præcipio vobis malignissimis spiritibus, per tremendum ultimæ diei judicium, et per virtutem sanctæ cru✝cis quam contra vos facio, et per merita intemeratæ Virginis Mariæ, quæ caput antiqui serpentis contrivit, et per excelsas virtu-

tes omnium Sanctorum, qui vos gloriosi devicerunt; ut non audeatis ullas noxias nebulas, aut nocivos ventos, aut siccitates damnosas, aut sterilitates malignas in hac tota mundi parte, quousque visus meus se extendit excitare; alioquin infundo vobis omnes maledictiones et plagas infernales Deo imperante Michæli Archangelo per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sœculum per ignem. Amen.

Aspergatur illa pars camporum aqua benedicta. Et revertendo cantetur Psalmus: Benedictus Dominus Deus Israel etc.

Veni Creator Spiritus Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia Quae tu creasti pectora.
Qui Paraclitus diceris Donum Dei Altissimi,
Fons vivus, ignis, charitas Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere Dextrae Dei tu digitus,
Tu rite promissum Patris Sermone ditans gutturi
Accende lumen sensibus, Infunde amorem cordibu
Infirma nostri corporis, Virtute firmas perpeti
Hostem repellas longius, Pacemque dones protinus
Ductore sic te praevio Vitemus omne noxium. -
Per te sciamus da Patrem, Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum, Credamus omni tempore.
Gloria Patri Domino, Natoque qui a mortuis,
Surrexit ac Paraclito, In saeculorum saecula Amen.
℣ Emitte Spiritum Tuum et Creabuntur ℟ Et renovabis
faciem terrae. Oremus Deus qui corda fidelium S^ti
Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu
recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere.
Per Dnum nostrum - - in unitate ejusdem - - - ——

Benedictio.

Sertorum in Festo S.S. Corporis DNJC. fol. 8.

RYTUALE

Sacramentorum